HILDEGARDIS
CAVSAE ET CVRAE






VE RI
TAS

HILDEGARDIS


CAUSAE ET CURAE

EDIDIT

PAULUS KAISER



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMIII


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

PRAEFATIO.

Hildegardis abbatissae Bingiensis librum de causis et curis morborum olim in monasterio S. Maximini Trevirensi reconditum, saec. XIX. ineunte in scriniis Georgii Klossii Francofurtensis depositum, nunc in bibliotheca regia Hafniensi asservatum Carolus Jessen in Actis Acad. Vindob. 45,1. 1862. p. 97—116 ab oblivione vindicavit, Joh. Bapt. Pitra in Anal. sacr. spicil. Solesmensi paratis tom. 8. p. XXI, 468—482, 521—523 specimine textus addito accurate tractavit. Ego postquam in libello Die naturwissenschaftlichen Schriften der Hildegard von Bingen, *Berol. 1901 apud Gaertnerum, mirum Hildegardis libri cum Physica in Mignii Patrologia tom. 197 excussa consensum ostendi et utrumque librum Hildegardi attribuendum esse contendi atque in Comm. Mens. Therapeuticis ab Oscaro Liebreich editis (1902. 6, 8, 9, 11, 12) nonnullas partes in nostrum sermonem transtuli, opusculum ad fidem codicis nunc in lucem profero.*

In textu restituendo quamquam a ratione scribendi in codice exhibita caute discessi, ubi formis verborum nunc minus usitatis (ut nichil, tympora, ortus) *lectionem impediri arbitrabar, tamen in nominibus morborum remediorumque scribendis codicem diligenter secutus sum. Stellulis* * * *locos corruptos, cruce* † *initia praeceptorum prioribus additorum, uncis* [ ] *formas delendas vel locos spurios significavi, uncis* < >, *quae ipse addidi; leviores errores librarii nihil adnotans emendavi; loci Physicae, qui cum libro nostro congruunt, sub textu leguntur.*

Cod. membr. sign. Ny kgl. Saml. No. 90 b *saec. XIII. 93 folia eleganter conscripta continet;* inscriptiones capitum *stylo rubro eadem manu, quae textum* scripsit, additae

sunt. Initium singulorum librorum littera grandi artificiose scripta significatur. In prima pagina adnotationes bibliothecariorum leguntur; subscriptionem hi versus e Regimine Salernitano (in Renzii Coll. Sal. I, 495, v. 1553) deprompti sequuntur:

febris acuta tisis pedicon scabies sacer ignis
cancer lippa lepra frenesis contagia praestant.

Sequitur index capitum recentiore manu scriptus.

1,17 voluntate . . . at *Pitra* **2**,20 pat. est circ. rotae. Quomodo? Pat. *Pitra* **3**,11 valles] colles *rubro stylo superscr.* **4**,30 *malim* occidentalis 37 concutiunt **5**,23 ossa] *in marg.* animam **6**,25 virida *servare debebam, cfr. 99,23; 100,21* **10**,5 ut] et **13**,26 permittunt **14**,29 ut et **15**,11 stellas **17**,8 ipsae*?* 27 *verba* velut-sequuntur *post* faciunt *v. 31 legenda videntur* **18**,3 surget **18**,30—**19**,32 *(A) in ms. repetuntur post 242,13 (B) nonnullis mutatis:* 18,32 quia] quod *B* illa] ipsa *B* 35 bella opera *B* 19,1 quemadm. si *B* 2 scilicet quod *B* 3 auram emittunt] witherent *B* 4 *capitis inscriptio deest B* 5 aliquam] ullam *B* 7 instituat *B* 8 vit s. cui. op. *B* 10 post] secundum *B* 11 aut] et *B* 13 hum.] conceptio *B* 14 sed] nam *B* 16 et cum conv. ac cum tr. *B* mirabili *A* 17 hum.] conceptio *B* 19 sec. gen. s. gust. *B* 21 scilicet *B* 22 et in b. et in r. et in o. b. e. et eos a. s. trahit *B* 27 et mel. *B* 28 ita quod *B* perdunt *B* sic] ita etiam *B* 31 alius homo *B* sua *deest B* quia] quod *B* 32 illud quod *B* **20**,23 ascendat **21**,10 rationabilem*?* **23**,35 auris inde deficientis*?* **25**,1 attrahit **28**,12 excribantur **29**,24 ne] ut **33**,10 versus 13 sunt] est **34**,13 exicionibus*?* **39**,19 ignem 21 *malim* follis **44**,16 illius **47**,18 *malim* eam **53**,36 qui **54**,25 *malim* informibus **58**,9 phiton 22 *malim* quas **62**,36 pectus **66**,17 *malim* eduxit 30 *malim* infigit **73**,36 convictione*?* **79**,18 ea] *malim* eas **89**,7 melancolia **91**,2 hominis **92**,5 *fortasse* auditus et loquela se **93**,17 ortae 31 efficitur **95**,18 cordis **96**,37 eicet *libri servandum erat* **100**,14 *in marg.* De renium dolore *errore omisi* **108**,36 macres **113**,1 *suspicor* malum sanguinem et t. **116**,30 *opinor potus ille tanto* **118**,35 *malim* quoniam ut **122**,12 scarifactione

123,29 artulam **124**,27 demonstrat **126**,19 ieiuno? **129**,35 ilium? **135**,22 hominibus? 28 *scriptor spectat ad p. 190,30 sqq.* **140**,31 *malim* quas **141**,12 calidas **146**,18 *fortasse* transiens contrarios humores excitat, qui eum 33 acer **148**,19 *malim* callum h., qui reliqua carne **154**,13 aliquas] aliqua **156**,15 istis **158**,6 tarmites? **161**,29 inundant? **167**,17 nahtscadenbeu *fortasse* nahtscadenberi **167**,23 *malim* suo **169**,32 viridem **176**,12 *in libro repetuntur, quae in textu nostro 168,4—13 legimus* **177**,5 *malim* scapulam porcinarum **178**,6 *i. e.* radicem galangae **181**,5 *e loco sub textu coll. integram lectionem restituimus* fliusis, et succum istum et medullam cervi maioris ponderis quam praefatum flius et quam **184**,3 bibôz] *superscr.* artemisiam 33 *sqq. falso ex initio libri in finem translata esse videntur* **189**,35 cum **195**,15 *superscr.* olei olivarum **198**,28 eorum **208**,33 *malim* deprimunt **209**,1 qui 16 trita? **211**,31 habente? **217**,1 temperata 2 roborata **219**,30 *in marg.* heyternescelen **220**,13 ita **225**,23 qualitatis 24 separata 25 intermixta **226**,3 sanguinea 20 separatus **227**,8 calorem **232**,2 nigredine? 3 ariditate? **234**,22—**235**,7 *initia horum cap. congruunt cum initiis cap. p. 92,24—93,25* **235**,8 *ea quae sequuntur de lunae effectu librarium ex alio fonte hausisse forma primae litterae H artificiose scriptae docet; neque vero dissentiunt ab Hildegardis ratione, v. p. 97,8; 17; 37. 98,21.* **237**,26 in] et **243**,9 coruam

---

Legas 5,32 exspirat 14,34 iecori 24,30 calorem 25,21 venenosissimi 36 colorem 26,7 caloris 27,20 coloris *deleas* 32,33 nec-calore *legas* 36,25 humectationem 40,32 infundit 46,28 transgrederentur 48,20 ferebatur s. a., 73,20 melancolicis 80,1 incisio 82,2 tenuis 85,13 quem 106,9 trabibus 118,19 evertit 136,21 procrearet 146,12 amaritudine 148,29 carmen 160,36 accrescit 201,3 siligineum et 202,19 bibat.

Scribebam Berolini XIX Cal. Febr. MCMIII.

K.

BEATAE HILDEGARDIS CAUSAE ET CURAE.

I.

De mundi creatione. Deus ante creationem mundi absque initio fuit et est, et ipse lux et splendor fuit et est et vita fuit. Cum ergo deus mundum facere voluit, illum de nihilo fecit, sed in voluntate ipsius materia mundi erat.

De hyle. Nam cum voluntas dei ad operandum opus se ostendit, mox de ipsa voluntate et quomodo deus voluit materia mundi ut obscurus globus et informis processit.

De angelorum creatione. Et verbum patris sonuit: fiat lux, et facta est lux et angeli lucentes. Nam quod dixit fiat lux, absque luminaribus et formata lux, quod angeli sunt. Sed cum dixit fiant luminaria, hoc est lumen aerium, quod videmus.

De Luciferi casu. Lucifer autem ad aquilonem locum vacantem nec aliquid operantem vidit et ibi sedem suam ponere voluit, quatinus illic plura et maiora deo operaretur, voluntatem ipsius ad creationem reliquarum creaturarum ignorans. Nam faciem patris non inspexit nec fortitudinem eius scivit nec bonitatem ipsius gustavit, quod, antequam haec sensisset, deo rebellare temptavit. Deus enim haec nondum manifestaverat sed ea occultaverat, velut aliquis potens et fortis vir facit, qui fortitudinem suam interdum aliis hominibus eam nescientibus occultat, donec videat, quid illi de se sentiant et quid incipere et quid facere velint. Et cum Lucifer in perversa voluntate sua se ad nihilum erigeret, quoniam nihilum fuit, quod facere voluit, in illud cecidit et stare non potuit, quia sub se fundum

HILDEGARDIS

CAUSAE ET CURAE

EDIDIT

PAULUS KAISER



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMIII

De fulgure. Et modice submurmurat et sic cessat, velut homo, qui interdum in iram motus eam ad perfectum non ducit sed comprimendo compescit. Aliquando autem de nimio ardore solis ignis tonitrui commovetur et in magnam commotionem ducitur, ita ut fortia et periculosa fulgura emittat et vocem suam fortiter exaltet, velut homo, qui fortiter in iram motus eam periculoso opere perficit. Et tunc etiam interdum superior ignis tonitrui ab igne solis tactus frigus, quod in tonitruo est, in unum locum coadunari facit, quemadmodum aqua glaciem in unum locum congregat, et frigus illud grandinem ad nubes ducit, et nubes eam suscipiunt et dispergunt et ad terram emittunt.

De grandine. Nam grando est velut oculus tonitrui. Sed cum sol in descensu in hieme est, ignem suum ad altitudinem caeli non transmittit et magis sub terra quam supra terram ardet et tunc in altitudine caeli non fervet.

De nive. Unde aquae, quae in superioribus sunt, velut pulvere aspersae de frigore fiunt et nivem emittunt.

De pluvia. Sed cum postea in calore suaves sunt, pluviam emittunt, et cum sol interdum nec nimium calorem nec nimium frigus ostendit, tunc etiam interdum suavem pluviam emittit, quemadmodum homo, cum aliquando laetus est, lacrimas multotiens prae gaudio fundit.

De ventis. Quatuor etiam cardinales venti sub sole et super solem firmamento assunt et illud continent ac totum orbem, scilicet de inferiori parte usque ad superiorem partem firmamenti, sicut cum pallio circumdant. Orientalis enim ventus aerem complectitur et suavissimum rorem super arida mittit. Ventus enim occidentis fluentibus nubibus se admiscet, ut aquas sustineat, ne erumpant. Australis vero ventus ignem in magistratione sua retinet et eum prohibet, ne omnia comburat. Ventus quoque septentrionalis exteriores tenebras retinet, ne modum suum excedant. Isti quatuor venti alae potentiae dei sunt. Qui cum simul movebuntur, omnia elementa complicabunt et se *divident ac mare* concutient et omnes aquas exsiccabunt.

De iudicii die. Sed nunc clave maiestatis dei clausi sunt, quatinus elementa in moderatione haerebant, nec super ullum hominem ullo periculo dominabuntur, nisi in fine saeculi, quia tunc omnia purgabuntur, postea ipsi cantum in symphonia ferent; et nulla creatura est, quae una sola proprietate consistat, quin plures habeat.

De nihilo. Sed nihilum nullam proprietatem habet, in qua subsistat, et ideo nihil est; unde etiam aliae creaturae, quae voluntate sua se nihilo coniungunt, proprietates suas perdunt et ad nihilum fiunt.

De firmamento et ventis. Firmamentum autem ignem, solem, lunam, stellas et ventos habet, per quae omnia consistit et quorum proprietatibus firmatur, ne dissipetur. Nam ut anima totum corpus hominis tenet, ita etiam venti totum firmamentum continent, ne corrumpatur, et invisibiles sunt, velut etiam anima invisibilis est de secreto dei veniens. Et sicut domus absque angularibus lapidibus non constat, sic nec firmamentum nec terra nec abyssus nec totus mundus cum omnibus compositionibus suis absque his ventis esset, quia haec omnia cum ipsis composita et retenta sunt. Nam terra tota scinderetur et rumperetur, si isti venti non essent, quemadmodum etiam homo totus scinderetur, si ossa non haberet. Principalis enim ventus orientalis totam orientalem plagam continet, et principalis ventus occidentalis totam plagam occidentalem, ac principalis ventus australis totam plagam australem, atque principalis ventus septentrionalis totam plagam septentrionalem.

De ventis collateralibus. Et unusquisque ventus istorum principalium duos alios debiliores sibi astantes velut duo brachia habet, in quos interdum quasdam vires suas expirat. Isti enim debiliores venti eandem naturam habent, quam et principales venti eorum tenent, ita ut unusquisque inferiorum ventorum principalem ventum velut caput suum imitetur, quanto multo minores vires habeant et quod unam viam cum principali vento suo habent, ut duae aures unam viam auditus in capite tenent. Et cum

per divinam iussionem ultorem excitantur, flatum et fortitudinem a principalibus ventis suis accipiunt, et tunc in tali inquietudine sunt et tales et tantos fragores et collisiones periculorum faciunt, qualiter etiam pericula inquietudinum mali humores in hominibus faciunt, cum eos in aegritudinem deiciunt. Sed illi principales venti ab initio mundi numquam in viribus suis pleniter moti sunt nec movebuntur usque in novissimum diem. Et cum tunc fortitudinem suam ostenderint et flatus suos tunc pleniter emiserint, prae fortitudine et collisione eorum nubes scindentur et superiora firmamenti complicabuntur et rumpentur, velut corpus hominis scinditur et omnia membra eius deiciuntur, cum anima ipsius de corpore suo exeundo solvitur. Ventus enim orientalis duas alas habet, per quas omnem orbem ad se trahit, ita ut ala una a superioribus ad inferiora solis cursum contineat et ala altera soli occurrat, ita ut ei obstaculum sit, ne ibi ulterius procedat, quo ultra non tendit. Et ventus iste omnem humiditatem humectat et omnia germina germinare facit. Ventus autem occidentalis velut os ad omnes aquas dissipandum et dispergendum habet, ita ut omnes aquas in recta itinera dividat et dispergat, ne ulla aqua supra aliam ascendat, sed ut recte incedat, quia potestatem habet super aerem illum, qui aquas portat. Et ventus iste omnia viridia arefacit et ea, quae iuxta eum sunt. Sed ventus australis velut ferreum baculum tenet, qui superius tres ramos habet et qui inferius acutus est. Nam quasi calibineam fortitudinem habet, quae firmamentum et abyssum continet. Sicut enim calibs omnia aeramenta superat et domat, et ut cor hominem confortat, ita et fortitudo venti huius firmamentum et abyssum plagae illius continet, ne dilabatur. Et superius tres vires quasi tres ramos habet, quarum una calorem solis in oriente temperat et una ardorem eius in meridie deprimit et una calorem illius in occidente refrigerat, ne modos suos in plagis illis excedat. Sed inferius acutus est, quod forti*tudo eius et*iam in abyssum fixa est, ne humiditas et

frigus de abysso supra modum sursum ascendant. Et idem ventus omnia matura facit, ita ut folia silvarum et gramina, segetes, poma, vinum et omnes reliquos terrae fructus ad maturitatem producat. Ventus vero septentrionalis quatuor columnas habet, per quas totum firmamentum et totum abyssum continet. Sed cum eas sursum traxerit, tunc firmamentum ad abyssum complicabitur. Hae autem quatuor columnae quatuor elementa tenent, quae ibi in eadem septentrionali plaga simul conglutinantur et finiuntur et etiam velut columnis innixa sunt, ne cadant. Cum vero idem ventus fortitudine sua quatuor columnas suas in novissimo die commoverit, tunc etiam firmamentum complicabitur, velut tabulae complicari solent. Et ventus iste frigidus est et frigus affert et omnia frigore constringit et simul tenet, ne dilabantur.

De sole. Et sol, ut praedictum est, in apice et quasi in medio firmamenti positus est et igneus atque aerius est et igne suo omnem sustentationem et fundamentum firmamenti et aerem, sidera, stellas atque nubes, ne cadant et ne diffluant, continet, velut terra omnes creaturas, quae in ea sunt, sustentat. Aether etiam per ipsum firmatur. Cum autem sol in altitudine firmamenti stat, ignis ei occurrit et ei famulatur. Et sol totum firmamentum confirmat atque splendorem suum per totam terram spargit, unde ipsa viriditatem et flores profert. Sed tunc dies longi sunt, quod sol in altitudine firmamenti currit, et aestas est. Cum vero sol ad terram declinatur, frigus terrae de aqua ei occurrit et omnia viridia arida facit. Et quod sol tunc se ad terram declinavit, dies breves sunt, et hiems est. Calor etiam solis in hieme maior est sub terra quam super terram, quod si tunc frigus tantum esset sub terra quantum super terram, vel si in aestate calor tantus esset sub terra quantus est super terram, de immoderatione ista terra tota scinderetur. Sed et cum hiems futura erit, tempestas de aqua ascendit et lumen solis obtenebrat, unde et obscuri dies erunt. Et cum aestas futura erit, tempestates sub terram cadunt, unde

pulchri et laeti dies saepe sunt, quia aestas adest; et sol in circulo suo integer est et plenus et non deficit et lumen suum in lunam mittit, cum ad eum accedit, ut vir semen suum in feminam mittit.

De luna. Luna enim ex igne et ex tenui aere est atque in aere stat et habitaculum in eo habet et ipse per eam firmatur. Quae postquam evacuatur, sub solem vadit, et sphaera ab eo extenditur, quae illam ad ipsum trahit, ut achates ferrum ad se trahit. Illam accendit, sed et ceterae planetae et stellae atque aer et cetera luminaria, quae circa lunam sunt, ad eam flagrant et ad accensionem eius ipsi succurrunt. Et postquam incensa fuerit, paulatim crescit ad plenitudinem suam, sicut etiam rogus vel domus incensa paulatim incipit ardere, usque dum tota incendatur. Interim enim, dum luna crescendo repletur, sol superiora firmamenti confirmat nec usquam ab hoc cessat. Et sol diem secum et apud se habet, quia firmamentum superius lucidum est; et luna noctem, quia terra tenebrosa est. Sed et postquam luna repletur, ita quod velut mulier praegnans efficitur, lumen suum emittit et stellis tradit; et ita stellae lucidiores efficiuntur.

De rore. Tunc et stellae de eodem calore aerem calefaciunt et roborant, et aer calefactus sudorem suum, scilicet rorem suum, super terram mittit et eam fecundat. Unde et ipsa perfusa fructus gignit. Nam interim dum luna se evacuat, ita quod lumen suum stellis dat, et dum a sole accensa ad plenitudinem suam crescit, stellae lumen et calorem, quem a luna acceperunt, in aerem ad calefaciendum et confortandum eum paulatim mittunt, et aer sudorem suum ad fecundandam terram desuper fundit, ita ut, cum luna iterum plena fuerit, stellae etiam interim evacuatae sint ad excipiendum iterum denuo aliud lumen et calorem; et cum luna defecerit, stellae plenae sint ad confortandum aerem et terram; et cum stellae defecerint, luna denuo plena sit.

De aeris purgatione. Sed cum stellae in noctibus apparent, quod tunc aliquando videntur ignitae sphaerae

ut ignita iacula in aere volare, hoc est, quod stellae ignem in aerem eum ad confortandum mittunt, ut et ipse calore suo terram fructificet. Unde etiam saepe videtur et reperitur, quod aer de igne et calore stellarum se purgat, ita ut ab eo sordes quaedam quasi faeces cadant.

De aeris filis. Similiter cum aestas et hiems separantur, ita ut aestas recedat et hiems veniat, vel cum hiems recedat et aestas veniat, quaedam coagulatio ut quaedam albedo filorum in aere volat, ubi aer se purgat. Quae in terram descendit de collisione illorum duorum temporum hiemis et aestatis, cum se invicem collidunt.

De eclipsi. Quod autem eclipsis lunae aliquando videtur, hoc est, quod elementa et tempestates aliquando se ad invicem collidunt, velut conflictum inter se habeant. Sed luna tunc nec extinguitur nec deficit, sed tempestates illae eam ad horam tantum obscurant. Sed vis lunae tanta est, quod tempestates illas superat et quod iterum splendorem suum emittit, quia vis lunae maior est vi tempestatum illarum.

De quinque planetis. Ceteri quoque quinque planetae sunt, et lumen de igne et de aethere habent et sunt robur ac firmamentum firmamenti. Atque has circuitiones tam altitudinis quam profunditatis in firmamento habent, ut ibi fulgeant, ubi sol non radiat et ubi splendorem suum vix ostendit. Ubi ipsi sunt et currunt atque circulo solis serviunt et velocitatem solis retinent atque ignem eius tabescere faciunt, ita ut prae ipsis tantum ardorem ignis non emittat, ut faceret, si eum non retinerent. Et sicut quinque sensus corporis hominis corpus eius continent et ornamenta eius sunt, ita etiam isti quinque planetae solem continent atque decor ipsius sunt.

De firmamenti retardatione. Sed et firmamentum in velocitate circumvolvitur, et sol cum ceteris planetis contra illud et obviam illi paulatim currit atque velocitatem eius retinet; quoniam si sol illud retardando non retineret vel si ipse cum ceteris planetis tanta velocitate curreret obviam firmamento, quanta illud circumvolvitur,

omnia confunderentur et firmamentum totum dirumperetur. Si enim firmamentum immobile esset, ita ut non circumvolveretur, tunc sol fere per totam aestatem super terram esset sine nocte et fere per totam hiemem sub terra sine die. Nunc autem ideo circumvolvitur, ut, dum ipsum soli occurrit et ille isti, tanto citius a calore illius solidetur et confirmetur, scilicet dum ille ipsum percurrit et igne suo pertransit et perfundit. Ante casum Adae firmamentum immobile fuit et non circumvolvebatur, post casum autem eius coepit moveri et circumvolvi; sed post novissimum diem immobile stabit, ut in prima creatione ante casum Adae fuit. Nunc autem ideo circumvolvitur, ut a sole, luna et stellis roboretur et confirmetur, quia si immobile staret, cito liquefactum et emollitum deflueret. Ex hoc etiam, quod modo circumvolvitur, elementa purgat, et purgatio illa interdum sunt aquosae et nigrae nubes, quas videmus, velut etiam aqua, cum ad ignem in olla ponitur, et in fervore caloris spumam eicit et purgatur.

De firmamenti consonantiis. In ipsa etiam circumvolutione sui mirabiles sonos emittit, quos tamen prae nimia altitudine et latitudine eius audire non possumus, velut etiam, cum molendinum vel plaustrum circumvolvitur, sonos suos habet. Sed et idem firmamentum ideo tantae altitudinis et amplitudinis circa terram est, ne homines et animalia in terra moriantur, cum ab eis remotum est; quia tam homines quam animalia de igne, ventis, aqua et nubibus morerentur, si eis in vicino esset. Sicut enim corpus et anima simul sunt et ab invicem confirmantur, ita etiam firmamentum et planetae sunt et ab invicem mutuo foventur et confirmantur. Sed et sicut anima corpus vivificat et consolidat, sic etiam sol, luna et ceteri planetae firmamentum cum igne suo fovent et confirmant. Nam firmamentum est velut caput hominis, sol, luna et stellae ut oculi, aer ut auditus, venti velut odoratus, ros ut gustus, latera mundi ut brachia et ut tactus. Et aliae creaturae, quae sunt in mundo, sunt ut venter, terra autem ut cor, quod, quemadmodum cor su-

periora et inferiora corporis continet, ita etiam et terra aquis illis, quae super eam fluunt, est ut arida, aquis vero, quae sub ea sunt, est obstaculum, ne contrarium modum erumpant.

De Luciferi casu et firmamenti creatione. Abyssus autem est velut pedes et ut incessus hominis. Cum igitur diabolus de caelo corruit, qui sedere et regnare voluit et qui nullam creaturam creare et facere potuit, deus firmamentum statim fecit, ut ille videret et intelligeret, quae et quanta deus facere et creare posset. Tunc etiam solem, lunam et stellas in firmamentum posuit, ut diabolus in eis videret et cognosceret, quantum decorem et splendorem perdidisset.

De stellis. Stellae namque non sunt aequalis magnitudinis nec aequalis splendoris, sed quaedam sunt maiores, quaedam minores, quaedam maioris splendoris, quaedam minoris. Firmamentum autem a sole superius continetur, ne supra modum sursum ascendat, et subtus ab aere terrae, qui terram et nubes continet, ne modum suum subtus excedat. Et ita supra et infra continetur, ut praeostensum est, ut rectos modos suos excedere non possit.

De duodecim signis et planetis. Sed sicut a septem planetis in cursu suo ducitur, sic et ipsi in duodecim signis quasi famulatum ei exhibent et serviunt. Nam cum sol ad signum capricorni pervenerit, duo planetae, qui eum ad signum sagittarii comitati erant, ipsi quasi nutum faciunt, ut sursum ad priorem cursum suum redeat, et eum ad priorem ascensum exhortantur. Et hoc signum capricorni dicitur, qui etiam sursum ascendere nititur. Haec enim duodecim signa nihil aliud in nominibus suis sunt, nisi quod reliqui quinque planetae secundum officia sua solem aut in aestate sursum ascendendo impellunt aut in hieme deorsum descendendo suscipiunt et quod ei hoc modo serviunt. Sed cum sol ad signum capricorni pervenerit, reliqui tres planetae sub eo currunt et eum paulatim sursum impellunt usque ad signum aquarii. Qui

cum iam ibi surgere incipit, terram circa fundum eius calefacit et aquas, quae sub terra sunt, et ideo aquae sub terra calidiores in hieme sunt quam in aestate. Tunc ibi in signo aquarii planeta ille, qui ignem suum a sole semper recipit, scilicet ille, qui in signo cancri inferius sole stat, et alii planetae advenientes retrorsum incedunt. Solem comitantur usque ad signum piscium, et cum ad signum illud pervenerit, iam quasi in medietate aquarum est. Et pisces, qui se prius a frigore absconderant, iam calorem eius sentiunt et ad fecunditatem procedunt. Et alius planeta, qui in signo cancri ad dextram solis erat, ei hic occurrit et ipsum sursum trahit usque ad signum arietis. Et cum sol sic ad signum arietis pervenerit, et ibi duo inferiores planetae ei occurrunt et eum suscipiunt et cum eo paulatim ascendunt et in ante tendunt velut aries cum cornibus. Sed cum altius ascendit quasi ad signum tauri, isti duo planetae ibi remanent, et alii duo ei obviam veniunt, qui rari sunt ad videndum et qui raro ostenduntur, nisi aliqua miracula portent. Et hi solem ante impellunt multa potestate, ut taurus, qui fortiter trudit cornibus, et solem ad altitudinem transferunt, ita ut, cum ad signum geminorum venerit, alter eorum altera parte solis, alter in altera parte eius vadunt se ita separantes, usque dum ad summam altitudinem suam perveniunt. Et tunc circa signum cancri, cum sol iam ad descensum reverti debet, planeta, qui ad dextram eius vadit, modicum eum praecedit et alium quendam planetam inferius solem stantem invenit, et mox planeta ille planetam istum sentiens retrorsum incedit parumper, et iste illum sequitur. Et iterum ille revertitur, et iste prior recedit, et ille sequitur; et sic per aliquod tempus praecedentes et redeuntes velut cancri incedunt, usque dum solem ad descensum convertunt. Et planeta ille, qui ad sinistram solis erat, ibi remanet, et isti duo comitantur eum et in descensu tenent eum, ne supra modum in descensu currat. Et ita ducunt eum usque ad signum leonis. Et tunc planetae illi, qui in signo arietis erant, ibi soli occurrunt sub-

murmurantes, et sol tunc, quasi irascatur propter difficultatem reversionis, multum aestum emittit, ita ut inde fulgura et tonitrua sonent, quoniam ad descensum difficulter vertitur. Sed cum ad signum virginis pervenerit, ibi ei illi duo planetae occurrunt, qui in signo tauri ei obviam venerunt, et tunc suavius et mitius incedit, quia calor et acerbitas eius mitigatur iam terra nullum fructum proferente sed fere in delectatione maturitatis stante. Et ita cum eo incedunt usque ad signum librae, ubi viriditas et ariditas quasi in libra sunt, ita quod viriditas abscedit et ariditas accedit. Et ibi alter eorum altera parte solis, alter altera parte eius vadunt se ita separantes, ut in signo geminorum fecerunt, ita eum ducentes usque ad signum scorpionis, et ibi alter eorum remanet. Sed et tunc soli alius planeta ibi occurrit, scilicet ille, qui inferius cancri veniebat. Et etiam planeta, qui ad eum ibi cucurrit et retro et ante incessit, adhuc cum sole manet, et sic cum eo ambo incedunt. Tunc etiam in signo scorpionis omnia reptantia cavernulas suas quaerunt, ubi per hiemem abscondantur. Sed praefati duo planetae cum sole ita incedunt usque ad signum sagittarii, et ibi remanent. Et tunc in signo sagittarii nullus planeta cum sole amodo incedit, ut prius cum ipso incedebant, sed suaviter et leniter per se ipsum incedere permittunt, quia iam in inferiori descensu est; velut navis in descensu fluminis interdum per se leniter ire permittitur sublatis remis et eis per aliquam moram aliquando cessantibus. Sed quoniam sol in descensu est, calor eius praecipue sub terra est et etiam in aquis a terra remotis. Illi etiam duo planetae, qui eum usque ad signum sagittarii comitati sunt, se in nubes tunc sursum tollunt et calore suo aerem plus solito calefaciunt. Alioquin omnia, quae in terra sunt, perirent. Et hoc modo usque ad signum capricorni soli serviunt; ubi eum idem planetae ad ascensum prioris cursus sui exhortantur et adiuvant, ut praedictum est. Sol autem est quasi pilleus firmamenti, qui omni firmamento [sunt] et terrae et aquis apparet et calorem suum

tribuit, sed non omnibus aequali modo. Nam in medietate terrae fortissimus est, et ibi terra de sole fortissima est, et omnia tam in fructu quam in animalibus ibi fortiora sunt quam in aliis locis. Cum enim sol in diversas terras longius se spargit, ibi in descensu terrarum et terra et fructus terrae et animalia, quae ibi sunt, debiliora sunt quam in medietate terrae. Vinum enim magnum calorem quaerit et de calore crescit, et in terra, ubi magnus calor solis est, vinum forte est. Frumentum etiam calorem et frigus quaerit, et ubi calor solis et etiam frigus est, ibi frumentum habundat.

De fructuum differentia. Et quaedam terrae sunt, quae calidae, quaedam, quae frigidae, quaedam, quae tepidae sunt. Et secundum hoc homines, animalia, fructus terrae sunt, et tamen omnia unius generis sunt, quamvis hic maiorem vim, ibi minorem de vi solis habent.

De firmamenti firmitate. Firmamentum quoque stellis continetur, ⟨ne⟩ dilabatur, velut homo a venis sustentatur, ne diffluat et ne separetur. Et ut venae totum corpus hominis a pede usque ad caput pertranseunt, sic etiam stellae firmamentum. Et quemadmodum sanguis in venis movetur, et ut sanguis eas movet et salire et ictus dare facit, ita etiam ignis in stellis movetur et eas moveri et quasdam scintillas velut quosdam saltus et ictus emittere facit. Et hoc communes stellae sunt, quae velut aliquas procellas in se faciunt, secundum quod opera hominum tunc sunt. Sed planetae ita diverso modo semper non moventur, nisi secundum quod a sole et a luna accipiunt et ut illa signa maiora designant. Ab eo autem loco, quo quaelibet stella posita est, ita sursum totum firmamentum transit, velut etiam vena, quae a pede usque ad caput hominis ascendit. Et omni firmamento splendorem et calorem tribuunt, quemadmodum etiam venae, quae iecur hominis transeunt, eidem iecuri sanguinem et calorem dant. Et per totum firmamentum positae sunt et tam ⟨in⟩ firmamento illo, quod in die videmus, quam in illo, quod in nocte cernimus. Sed stellae a maximo splendore

solis, qui diem affert, obteguntur, ita ut in die videri non possunt, quod splendor eius maior est splendore eorum, quemadmodum, cum principes nominantur, plebeius populus conticiscit, et cum principes recedunt, plebeius populus praecedit; alioquin tam in die quam in nocte cernerentur.

De stellarum significationibus. Stellae enim multa signa interdum in se ostendunt secundum quod homines in operibus suis se tunc habent. Sed nec futura nec cogitationes hominum ostendunt, sed ea tantum, quae homo iam aut ostensa voluntate aut in voce aut in opere facit, quoniam aer illa excipit. Et stellis tribuit ille, quod statim eo modo ostendunt opera hominis. Stellas autem deus ad servitutem hominis fecit, ut ei lucerent et ministrarent. Et ideo etiam opera eius ostendunt, velut servus voluntatem et opus domini sui manifestat. Nam sicut anima in corpore hominis primum lucet et tunc in opus procedit, ita etiam et stellae in firmamento fulgent et opera hominis ostendunt, cum homo iam operatur.

De planetarum significatione. Sol vero et luna et ceteri planetae non semper opera hominis ostendunt, sed raro. Et cum ipsi aliquid ostendunt, hoc magnum est et ad publicam rem pertinet. Quoniam summus planeta, qui oculus dicitur, et ille, qui proximus supra lunam est, qui dicitur pauper, in profunditate firmamenti velut duo clavi positi sunt et hominibus non apparent, nisi quod aliquando, cum nubes obnubilatae sunt, velut quidam fulgor ab eis in nubibus apparet, cum aliquid futurum esse praesignant. Sed quod in sole aliqua signa interdum ostenduntur, hoc ideo evenit, quod isti duo planetae solem aggrediuntur, ita quod hoc modo signa in ipso fiunt, cum aliquid miraculi futurum erit. Ipsi vero planetae non apparebunt, ita ut perfecte et pleniter videantur, nisi ante diem iudicii. Et tunc splendorem suum de summo ad terram insolito emittunt, et per hoc sapientes homines diem iudicii appropinquare intelligent. Planeta autem, qui pupilla dicitur et qui post summum est, diluvium produxit et ostendit. Et iste modo ut stella non apparet,

sed velut iacula sagittat. Et interdum pallidum fulgorem habet sic aliqua demonstrans. Sed planeta, qui post secundum est ⟨et⟩ dives dicitur, Christum contra diabolum pugnaturum monstravit. Sed nunc non ut stella apparet sed quasi fulgor in caelo, et tunc miracula futura demonstrat. Sed cum in sole obtruncatio aut coloris mutatio praeter solitum ostenditur, magna in mundo portentat futura.

De aurora. Quod vero in mane sol rubet, cum oritur, hoc de frigore et humiditate aeris est, quia humiditas et frigus, quae tunc sunt, rubedinem oculis hominum inferunt. Simili modo in sero, cum ad vesperam rubet, hoc de frigore aeris est, quoniam tunc ad oceanum inclinatur. Vesper autem, qui et comes dicitur, velut intimus et secretus amicus solis est. Frumentum et vinum temperat, sed alio tempore plus, alio minus. Postea planeta ille, qui dicitur pauper, exstat et signa sua ostendit, ut praefatum est, et etiam paupertatem in habundantia frugum terrae facit.

De lunae significatione. Sed cum in luna aliqua signa fiunt, hoc etiam isti planetae faciunt, qui in profunditate firmamenti velut duo clavi positi sunt et qui solem ad signa ostendenda aggrediuntur et lunam aut incendendo aut obumbrando commovent. Luna autem in se excipit foeditatem inutilitatis aurarum et calorem puri aeris, stabilitatem utilis aurae, pericula tempestatum, fortem aerem, qui omnem viriditatem profert, aerem, qui pomifera educit, aerem, qui exsiccat et defectum infert, qui hiems est. Et haec omnia in se ita colligit, ut vir, qui in utrem vinum fundit et suscipit et iterum ebibit. Sic et luna omnia ista in se colligit crescendo et ebibit decrescendo, et ideo dies eius quidam boni, quidam mali sunt, quidam utiles, quidam inutiles, quidam fortes, quidam debiles, quidam foedi, quidam virides, quidam sicci, quidam in defectione fructuum manent. Et quoniam luna hanc vicissitudinem in se habet, ideo etiam humectatio hominis vicissitudinem et mutabilitatem in dolore, in labore, in sapientia

et in prosperitate habet. Et humectationes hominum secundum solem notari non debent, ut ab eo temperentur, quod ipse in uno statu stat, ita quod nec crescit nec decrescit; nec etiam secundum stellas notandae sunt, quoniam stellae non secundum se ipsas sed secundum lunam faciunt; nec secundum tempora anni, quoniam illa de luna temperantur; nec secundum auram aeris, scilicet pluviae aut siccitatis hiemis aut aestatis, quia ipsa secundum lunam faciunt. Nam omnia secundum lunam temperantur, quoniam illa mater omnium temporum est, quod, ut filii matris de matre numerantur, ita omnia tempora numerantur de luna. Aer etiam et stellae aliquando opera hominum suscipiunt, et secundum haec interdum divino iudicio extenduntur et se componunt et auram emittunt. Et cum ad haec eriguntur, luna exinde movetur. Et secundum illa dies eius erunt aut in puritate et claritate aut in tempestate. Et ideo luna multis periculis et tempestatibus opprimitur, quemadmodum etiam mater multa pericula et tristitias in genitura natorum suorum sustinet. Et ideo tempora lunae sana et non sana sunt et matura et non matura. Si enim homo ita faceret, ut positus est, tunc etiam omnia tempora et aurae in temporibus suis aequaliter facerent, scilicet hoc verno tempore ut praeterito verno tempore, et in hac aestate ut in praeterita aestate, et sic de ceteris. Cum autem homo et timorem et amorem dei per inobedientiam transilit, tunc omnia elementa et tempora iura sua supergrediuntur; velut viscera in homine; quia, cum homo modum suum excedit, viscera eius eum sequuntur; et cum malis operibus iustitiam supergreditur, solem et lunam aggravat et obnubilat, ita ut secundum eum in tempestatibus, in pluviis et in siccitate faciunt. Nam stomachus et vesica hominis suscipiunt omnia, quibus corpus eius nutritur. Et cum haec duo cibos et potus superflue suscipiunt, tempestates malorum humorum omni corpori inferunt, sicut etiam elementa secundum hominem faciunt. Homo enim temperato tempore caloris et frigoris semen suum *seminat, et illud* in fructus surgit. Et quis esset

ille tam stultus, qui in nimio calore aestatis aut in nimio frigore hiemis semen suum seminaret? Et illud periret et non surgeret.

De tempore gignendi. Ita hominibus illis contingit, qui nec maturum tempus aetatis suae nec tempus lunae considerant, sed unoquoque tempore secundum voluntatem suam gignere volunt. Et ideo nati eorum in pluribus doloribus corporaliter deficiunt. Sed tamen, quamviscunque deficientes sint in corpore, deus gemmas suas ad se colligit. Et ideo vir maturum tempus corporis sui inspicere debet et recta tempora lunae cum tali studio quaerere, ut ille, qui orationes suas puras offert; scilicet ut eo tempore prolem gignat, quod nati eius non pereant deficiendo. Nec fiat ut homo ille, qui cibum in se torquet, ut vorax, qui rectum tempus cibi non quaerit; sed esse debet ut ille, qui rectum tempus habet, ne sit ut vorax. Sic homo esse .debet et quaerere rectum tempus geniturae suae. Vir ad feminam non accedat, cum illa puella est, sed iuvencula, quod tunc matura est, nec ipse feminam tangat ante barbam, sed cum barbam habuerit, quoniam tunc maturus est ad fecunditatem prolis. Homo namque, qui in voracitate et in crapula est, in membris suis saepe leprosus et tortuosus fit; qui autem in cibo et potu continens est, bonum sanguinem et sanum corpus habebit. Sic etiam et ille, qui semper in libidine et in superfluitate corporis sui facit desideria sua, ut, cum tempestas geniturae suae in eo surgit, semen suum proiciendo perdit, saepe in semine suo perit. Qui autem semen suum recte fundit, rectam genituram profert.

De elementis.[1]) Elementa autem unamquamque naturam hominis bibunt, cum homo elementa in se trahit, quia homo cum illis est et illa cum homine, et secundum hoc sanguis hominis inundat. Unde etiam scriptum est: c a e l u m e t t e r r a p l a n g u n t s u p e r h o m i n e m, quoniam inquieta bella in operibus hominum elementa saepe com-

---

[1]) *18,$_{30}$—19,$_{33}$* iterum leguntur in fine libri, cfr. adn. crit.

movent, quemadmodum homo rete in manu sua teneat et illud moveat; ita et homo elementa commovet, quod secundum opera eius auram emittunt.

De lunae effectu. Et tempus lunae naturae hominis non dominatur, quasi deus eius sit, et velut homo aliquam potestatem naturae de illa accipiat; aut ut luna naturae hominis aliquid conferat aut demat aut constituat; sed homini in aereo gustu cuiusque operis vitae suae luna occurrit, et ita sanguis et humores, qui in homine sunt, post tempus commotionis lunae moventur, scilicet secundum quod luna aerem in bona temperie aut tempestate movet et secundum quod tunc sanguis et humores in homine inundant, humectatio hominis naturam sibi in moribus contrahit. Sed etiam cum venae hominis intumescunt, scilicet cum ira et iracundia, cum petulantia, conviviis, tristitia et infirmitate corporis et cum mutabili vicissitudine turbinis morum hominis, secundum haec humectatio hominis gustum in natura sua capit, velut unusquisque coctus cibus gustum secundum genus suum tenet. Sed tamen omnem hanc naturam hominis, ut praescriptum est, spiritus sanctus penetrat, videlicet in prophetis, in sapientibus, in bonis, in rectis; et in omni bona electione eos ad se trahens, sicut sol tempestates, pertransit et perlustrat, ita quod haec perfusio ignei spiritus sancti mutabilem naturam hominis superat, ut scriptum est: o m n e q u o d n a t u m e s t e x d e o, v i n c i t m u n d u m; et sic non peccat. Et ut viles cibi de gustu aromatum in alium meliorem gustum mutantur, ita ut vilem gustum suum perdant, sic de igne spiritus sancti vilis natura hominis in meliorem naturam, quam conceptio eius ostendat, vertitur; et ita homo alius in natura sua fit, quia quod caeleste est devincit et exsuperat quod terrenum est, unde omnia in deo gaudent antiquo serpente illuso. Nunc autem, ut praedictum est, minores ceterae stellae diversa et communia et minora opera hominum demonstrant. Cum enim serenitas in nubibus est, ita ut nulla motio ventorum nec tempestatum nec imbrium in aere sit, sed quod stellae

in claritate sua appareant, si tunc aliqua nubes omnes stellas obtegit, ita ut videri non possint nulla motione aeris existente, et sic totam noctem illam manet vel etiam secundam et tertiam noctem similiter: non sine significatione alicuius portenti est. Quod si nubes illa stellas in loco uno tantum obtegit, ita quod videri non possint, et si nubes illa cito subtrahitur, nihil portentat, quamvis nulla motio aeris sit.

Quod planetae ex sui natura nihil significent. Hae autem significationes non propria virtute ipsorum planetarum seu stellarum aut nubium fiunt, sed permissione et voluntate ac constitutione dei, secundum quod deus hominibus opera ipsorum demonstrare voluerit, quemadmodum nummus imaginem domini sui ostendit.

De viribus ignis. Deus itaque cum mundum creavit, quatuor elementis, scilicet igne, aere, aqua et terra eum confirmavit, ut praedictum est. Ignis enim, qui summus in firmamento et in elementis est, quinque vires habet, videlicet ardorem, geliditatem, humorem, aerem, motionem; quemadmodum homo quinque sensibus consistit. Nam ignis ardet, sed geliditas ei obstat, ne ardor eius supra modum discurrat. Et aqua humorem ei subministrat, ut sufflatus ipsius accendat. De aere autem accenditur, et de motione impellitur, ut flamma eius luceat.

De viribus aeris. Sed aer quatuor vires habet, videlicet rorem emittendo, omnem viriditatem excitando, flatum movendo, cum quo flores educit, calorem dilatando, cum quo omnia maturescere facit; velut et ipse per quatuor partes mundi dilatatur.[1]) Aer enim spiramen est, quod in rore humorem germinantibus infundit, ita ut omnia virescant; et quod per flatum flores educit et per calorem omnia ad maturitatem confirmat. Aer autem, qui proximus dispositioni lunae et stellarum est, sidera humectat, velut terrenus aer terram et animalia irrationabilia et sensibilia secundum naturam ipsorum vivificat et movet

1) *20,29—21,8* = Migne 1209 D — 1211 A.

nec ideo in se minoratur. Sed cum eadem animalia moriuntur, idem aer ad pristinum statum suum revertitur nec inde in se augmentatur, sed manet, ut prius fuit. Aer autem terrenus, qui terram humectat, arbores et herbas virescere et crescere ac moveri facit. Nec, cum in istis est, in se deficit; nec ipsis abscisis aut evulsis, cum ab eis egreditur, in se proficit, sed in statu suo, ut ante erat, permanet.

De animae viribus. Anima autem hominis de caelo a deo veniens in hominem et ipsum vivificans ac rationabile faciens, cum ab homine egreditur, non moritur, sed aut ad praemia vitae seu ad tormenta mortis aeternaliter victura vadit.

De aquae viribus. Aqua vero vires quindecim habet, id est calorem, aerem, humorem, inundationem, velocitatem, mobilitatem; et lignis succum dat, pomiferis gustum, herbis viriditatem; et humiditate sua in omnibus madet, volucres continet, pisces pascit, bestias in calore suo vivere facit, reptilia in spuma sua retinet ac omnia sustentat: quemadmodum decem praecepta et quinque libri Moysi veteris testamenti sunt, quae cuncta deus ad spiritalem intelligentiam convertit.[1] De vivente namque fonte salientes aquae sunt, quae omnes sordes abluunt. Nam aqua in omni mobili creatura labilis est ac etiam incendium omnis viriditatis immobilium creaturarum est. De calore humidi aeris manat, et si calorem non haberet, dura propter frigus esset. De calore quippe defluit et de humiditate aeris manat. Quod si hunc aerem non haberet, fluere non posset. De his enim tribus viribus, scilicet calore, humore et aere velox est, ita ut nihil resistat, ubi ipsa superexcellerit. Sed et lignis succum dat et aere suo eadem mobilia facit atque calido humore pomiferis, scilicet unicuique secundum genus suum, gustum tribuit. Herbae etiam de fluente humore eius viriditatem in se habent, et lapides de humore eius sudant. Sic vis

---

1) 21,22—21,28 = *Migne* p. 1211 A.

aquae omnia colligit, ne deficiant, quod humor eius in omnibus sudat. Aquosas quoque volucres cum calido calore suo continet et pisces, quia in ipsa nati sunt et quoniam de flatu eius vivunt, pascit. Sed et bestiae, quae in ipsa manere possunt, per calorem eius durant, ac reptilia per aquosum flatum eius spiramen habent, ita quod sic vivere possunt. Hoc etenim modo cum viribus suis omnia continet et sustinet.

De hyle et creaturarum vivificatione. Nunc itaque cum verbum dei in principio sonuit, globus creaturarum sine igne et frigidus fuit. Et spiritus domini ferebatur super aquas, qui ignis et vita est. Tunc idem spiritus unicuique formatae creaturae vitam secundum genus suum inspiravit et in eis ignem insufflando accendit, ita ut quaeque creatura ignem et vitam secundum genus suum in se habeat. Opus autem verbi viriditas est, sed nulla viriditas esset, si igne et calore non teneretur; et quaeque creatura sine consolatione desolaretur et divideretur et caderet, si fundamento igneae vitae spiritus non firmaretur.

De aquae labilitate. Quemadmodum enim spiritus domini ignis et vita est, et ut omni creaturae esse et vitam dedit, sic aqua in ipso labilis est, quod congregat, retinet et firmat alias creaturas, et lubrica et fragilis est multa vivificans et mortificans. Quaedam etiam in aliena genitura in se tenet, quae super eam inniti non possent, quia caderent; et haec interdum mortificat. Sed tamen et aquoso cursu, quo currit, ventus et ignis est.

De sole et aquis eius. Aquae vero, quae quasi ad medium solis sunt, cum sol in medio firmamenti velut in corde eius est, magnam potentiam et magnum circuitum habent et de calore solis spissae et de aere fortes sunt. Sed de fluente impetu non attenuantur, quia non fluunt; sed tamen vento aguntur. Sol quoque interdum ignem, qui in aquis est, attrahit; et tempestas ventorum easdem aquas in magnis undis interdum congregat ut flamma, quae aliquam rem incendit. Et tunc aqua elevatur ut ignis, qui erigitur, et aqua ignem sequitur, atque hoc *modo velut colles* et montes eriguntur. Sed cum deinde

cessando compescuntur, semen suum, quod est sal de igne et aqua factum, deiciunt, quemadmodum herbae semina sua in maturitate proiciunt.

De sale. Sal autem de igne siccum est, de humiditate vero aquae gustum habet.

De aquarum diversitate. Et rivuli, qui de his magnis aquis, scilicet de mari, fluunt, et fontes, qui ex his saliunt, salsi sunt et maiorem ignem maioresque vires in se habent ceteris aquis; quemadmodum etiam cor maiores vires reliquo corpore habet; quia etiam haec flumina magna, de quibus fluunt, maiores vires ceteris fluminibus habent, quoniam supra primam et sanam arenam ab initio positam fluunt et non super illam, quam in cursu suo fecerunt aut detexerunt. Aqua vero quasi aquatile corpus terrae est et terra quasi cor aquae, quia aqua terram circumcingit et perfundit terram, ut corpus cor comprehendat et tegit. Et terra aquam sustentat, quemadmodum etiam cor corpus tenet. Sed et aqua magni maris, quod mundum circumcingit, est quasi latus illarum aquarum, quae super firmamentum sunt, quod summitas illarum, quae sunt super firmamentum, et extremitas illarum, quae sub firmamento sunt, sibi invicem coniunguntur. Et his aquis multiplices pelles firmamenti oppositae sunt, quae sibi ita ut folia tabularum complicatae sunt, quatinus diversos fluxus et inundationes aquarum contineant. Sed quemadmodum anima rationem, intellectum, scientiam et sensibilitatem in se continet, sic etiam firmamentum quatuor elementa secundum genus suum in se continet et sustentat. Et aquae istae uno tenore stant, ut positae sunt, et scutum suum, scilicet terram, irrigant, dum aquas infundunt et effundunt, ita ut illae aliquando in terra dilatentur et interdum ascendendo surgant. Et iterum in pluvia effunduntur, et hoc modo scutum suum aqua, ventis et aere firmat, ne diffluat et ne cadat. Arena autem maris, quae ab initio ad orientem posita est, saepe aeris indeficientis terrae tangitur; et hinc aromata et aliae medicinae in eadem arena *sunt. Si homo* ea habere posset, nulla in-

firmitate laederetur; sed et si quidam lapides eiusdem arenae effluere valerent, eo quod homo eos habere posset, infirmitates, pestes et putredines ab eo fugarent. Sed aqua ibi tam magna et tam profunda est, quod haberi non possunt.

De maris effluxione. Et quoniam in oriente magna profunditas arenae et litoris est, idcirco mare superhabundando et se dilatando ibi non effluit; in occidente autem et in austro ac in aquilone tanta profunditas arenarum et litoris non est. Ideo ibi multotiens effluit magnas et latas effusiones ibi faciens, cum ab igne procellarum in insaniam commovetur, ut praedictum est. Unde ibi multa inutilia et sordida in se colligit atque putredines hominum, pecorum, avium et vermium sibi attrahit. Et idcirco fontes et flumina, quae de partibus istis de mari effluunt, tam sana et tam bona non sunt sicut illa, quae de orientali mari effluunt.

De aquarum diversitate. Nam salsi fontes et salsi rivuli, qui ex aqua illa orientalis plagae in diversis terris saliendo effluunt, puri sunt et secundum aerem de puritate illa aliquantum virides sunt. Et in arena, ubi fluunt, in guttis saliunt et sani et utiles sunt et in potu sumi possunt et etiam ad coquendum cibum boni sunt. Et homo, qui infirmus est, si aquas illas frequenter biberit, sanitatem recipit, quod fumum, foetorem et putredinem malorum humorum velut bonum unguentum ab eo auferunt. Si autem in corpore sanus est, eum aliquantum laedunt, si eas biberit, et illi ulcera interius inferunt, quod in eo non inveniunt, quod purgent. Aquae vero fluminum et viventium ac salientium fontium, qui in eadem orientali plaga absque sapore salis oriuntur et ab oriente fluunt, puri sunt suavemque colorem suavi frigore adiuncto habent, ita quod temperate calidae et frigidae sunt et utiles hominibus ad cibum, ad potum, ad balnea, ad lavandum. Sed in manibus aliquantum acres et durae sunt. Sed salsae aquae, quae ab occidente fluunt, aliquantum turbidae sunt ut turbo; et cibus quidem cum eis coqui potest, quia per ignem aliquantum in coctione purgantur; *ad potum autem* crudae sumptae nocivae sunt, quoniam in

occidente mari quaeque sordida et putrida sibi attrahunt et illuc quaeque cadavera mortuorum fluunt. Quod si pro aliqua necessitate et penuria aliarum aquarum vitari non possunt, quin in potu sumantur, tunc primitus coquantur, et cum deinde infrigidatae sunt, bibantur. Sed non salsa flumina et viventes ac salientes non salsi fontes, qui in occidente oriuntur et ab occidente fluunt, ubi sol occidit et deficit, candidas et spissas habent aquas nec calore nec frigore ibi ad perfectum ducuntur, quoniam calor et frigus ibi in utrisque defectum habet. Unde etiam aquae illae aliquantum inutiles sunt ad usus hominum, scilicet ad potum, ad lavandum et ad balneum, quia a sole non coquuntur. Quod si necessitas compellit, ut quaeque necessaria cum eis parentur, tunc fortiter igne coquantur et deinde aliquantum infrigidari permittantur ad temperiem; sed tamen ad cibum aliquantum valent, quod cum cibo fortiter coquuntur. Aquae autem, quae salsae sunt et in australi plaga de mari oriuntur, sive fontes sive flumina sint, aliquantum albae nec tamen multum purae sunt et nec ad cibum nec ad potum valent, quoniam venenosae sint. Nam parvi et venosissimi vermes atque parva animalia, quae aliquantum venenosa sunt, illuc propter solem de frigore fugiunt et propter calorem ibi libenter habitant et in aqua se lavant et in aqua illa iacent, quod naturam salis habent et calorem pati possunt et nullum frigus. Sed aquae fluminum et viventium et salientium fontium, qui sapore salis carentes in austro oriuntur et ibi in fervore ardent, si separatim ab aliis aquis disiunctae fluerent, difficile a fervore ignis sui extinguerentur, quoniam ab extinguibilibus ignibus tactae sunt et ab eis exeunt. Et ad cibum et ad alias quasdam utilitates ita ferventes valerent, quia igne exquisitae et excoctae sunt. Sed postquam ad frigida flumina pervenerint et eis coniunctae fuerint, ita quod simul fluunt, tunc facile in undis excitantur et facile spumas eiciunt et quasi argenteum calorem habent. Atque ad cibum et ad potum et ad balnea ac ad *lavandum* utiles sunt, quod ab immunditia

et ab acerbitate sua purgatae sunt ut aqua, quae in olla per fervorem ignis purificatur. Sed tamen carnes homines pingues faciunt et colorem eius nigrum. Salsae autem aquae, quae a septentrionali plaga iuxta orientem oriuntur et effluunt, nocivae sunt et tam hominibus quam pecoribus pestes facile inferunt, quod virtus salis ibi non est sana, quoniam in partibus illis immutatio coloris et frigoris est; et ideo nec ad cibum nec ad potum valent, ita quod etiam vix in ceteros usus sumi possunt. Aliae vero aquae non salsae, quae ab eodem septentrione iuxta orientem effluunt, frigidae et utiles sunt, quod ab aere illo, qui de oriente flat, aliquantulum tanguntur; qui sanus est, quoniam temperatus est, ita quod nec multum calidus nec multum frigidus est. Et aer iste inter montes illos flat, qui illic ab initio positi sunt, et est quasi penna de terra viventium, unde etiam alio aere salubrior et sanior est. Et de aquis istis, quae hic oriuntur, quidam rivuli et fontes educuntur, qui velut puri sunt, sed tamen aliquantum turbidi, et alienum gustum aquae tenent, ita quod aut secundum vinum aut secundum alium modum saporem habent. Quae aquae interdum hydropicam pestem comprimunt et paralysim compescunt, si eas biberint, qui his malis fatigantur, quoniam natura aquarum istarum resistit naturae alterius aquae et etiam naturae rectae aquae. Et alias aquas, iuxta quas fluunt, constringunt et superant propter acumen naturae suae; sed ad cibum et potum et ad balnea atque ad lavandum utiles non sunt, quoniam ceteras aquas deprimunt. Sed salsae aquae, quae quasi ad medium septentrionalis plagae oriuntur et effluunt, bonae et utiles sunt tam pecoribus quam hominibus, scilicet ad cibum et ad potum atque ad reliquos usus hominum, quia in temperato aere nec nimis calido nec nimis frigido sunt. Et etiam in potu sumptae hominem interius a malis humoribus purgant. Flumina autem non salsa et viventes et salientes et non salsi fontes, qui etiam quasi ad medium eiusdem septentrionalis plagae oriuntur et effluunt, puri *sunt et cristallinum* colorem habent ferreo colore inter-

mixto. Ac valde frigidi sunt et valde utiles sunt, quia aquae istae non sunt immundae nec foetidae nec venenosae, quod diversa vicissitudo solis se illis non infigit. Et etiam rectum saporem aquae habent et hominibus ac ceteris animalibus utiles sunt ac bonae sunt ad cibum, ad potum, ad balnea et ad lavandum ac etiam utiles sunt ad quasdam medicinas. Sed aquae salsae tam fontium quam fluminum, quae ab angulo septentrionali parte occidentali veniunt, aliquantum subnigrae, id est *brunvaro*, et non multum purae sunt et nec ad cibum nec ad potum utiles sunt, quia mortiferae sunt. Nam in septentrionali plaga iuxta occidentem magni et acerrimi vermes iacent, qui ab homine nec videri nec tangi possent, nisi morerentur. Et hi in se de aquis istis ibi colligunt et iterum de se exspuunt, quod pastus eorum est. Et ideo aquae istae periculosae sunt, quia ibi et calorem et frigus habent. Sed etiam idcirco vermes isti illic habitant, quia frigidi sunt et frigus pati possunt et nullum calorem. Quae vero salsae non sunt et ab eadem septentrionali parte iuxta occidentem veniunt, purae sunt et subalbi caloris, id est *grizvaro,* et inutiles sunt tam pecoribus quam hominibus, scilicet ad cibum, ad potum et ad ceteros usus eorum, quia vix digeri possunt et quod homines ab eis facile intumescunt, quia venenosae sunt et viscera hominis ulceribus incidunt. Nam infirmi homines ex eis multum debilitantur, sani autem eas vix digerere valent. In hac autem eadem septentrionali plaga natura aquarum diversior et multiplicior est quam natura aquarum in orientali aut in australi aut in occidentali plaga, quoniam aquae in plagis istis calore solis perfunduntur et temperantur, quod in septentrionali plaga non fit, quod sol ad partes illas non accedit. Aquae vero paludum, in quibuscumque partibus terrarum sint, totae quasi venenum sunt, quoniam indignas et nocivas humiditates terrae in se portant et venenosas spumas vermium. Et hae pessimae sunt ad potum ac male ad reliquos usus hominum praeter ad lavandum, si ad opus necessariae fuerint. Qui autem eas *pro necessitate* penuriae aliarum aquarum bibere

voluerit, ipsas primum coquat et refrigerari permittat et sic bibat; panis autem et cibus atque cerevisia, quae cum eis coquuntur, aliquantum sumi possunt, quia igne purgantur. Putei autem et salientes fontes, qui de paludibus fluunt, aliquantum meliores aliis aquis paludum sunt, quemadmodum de quibusdam immundis rebus munda fiunt. Et hi aliquantum pati possunt, sed tamen non multum boni nec multum utiles sunt. Sed omnes aquae, quae in ortu suo orientes nocivae sunt, quanto longius ab ortu suo fluunt, tanto saniores fiunt, quia multo et longo cursu ea, quae in se nociva et venenosa sunt, perdunt et ab eis longo et diuturno meatu excreantur et purificantur. Aqua autem puteorum, qui in terram altius fossi sunt, ita quod stat et meatum effluendi non habet, melior et suavior est ad cibum, ad potum atque ad reliquos usus hominum quam aqua salientium fontium, qui effluunt. Et est ut suave unguentum ad comparationem salientis et effluentis fontis, quoniam, dum non effluit, saepius suavi temperie aeris temperatur. Aqua enim salientium fontium aspera est et asperitate sua cibis resistit, ita quod per ignem vix molliri possunt nec facile coqui. Et quia purgata est et pura, paucas spumas habet, et ideo etiam tanto minus cibos purgat et tanto minus cibi per eam purgantur, sicut per alias aquas cibi solent purgari, qui etiam per coctionem earundem aquarum purgantur. Nam aqua, quae de salientibus fontibus fluit, gracilior et purior est aquis fluminum, quod aut terra aut arena aut lapidibus, ubi salit et effluit, purgatur et pura fit. Et ad bibendum homini prodest, quia emundata est, et etiam aspera est ac aliquantum vino associata in viribus suis, sed cibo obest ad comedendum et oculis ad lavandum pro asperitate sua. Aquae autem fluminum, quae super terram fluunt, spissae, quia sole et aere perfunduntur, et aliquantum spumosae sunt et non sanae ad bibendum, quoniam diversa qualitas aeris et elementorum eis commiscetur, et quia etiam fumo, id est *doume,* ac nebulis, quae de quibusdam infirmis *montibus descendunt*, inficiuntur, et etiam interdum aere,

qui aliquando quibusdam poenis tangitur; et ideo malae sunt ad potandum et homines laedunt, nisi primum coquuntur, ut a mala spuma purgentur et infrigidari permittantur, ut ita pro necessitate bibantur. Sed etiam pro necessitate ad escas coquendas aliquantum valent, quoniam ibi per coctionem purgantur et tunc inde suaviores fiunt et melius saporant. Nam interdum evenit, quod malus fumus ac periculosa nebula de quibusdam infirmis montibus descendunt et quod etiam aer aliquando quibusdam poenis tangitur, et ita elementa inficiuntur et sic aquis fluviorum ac puteorum ac fontium commiscentur. Unde iterum pessimum venenum quasi mortifera pestis in eis est. Et si homines aut cetera animalia aquas istas tunc bibunt, mortem eis inferunt aut exstantia membra in deformitate, aut quod debilitatem in eis faciunt. Unde necesse est, ne tunc bibantur, nisi coctae sint, quoniam per spumam coctionis venenum de eis eiciunt. Nam si necessitas aliquem hominem coegerit, ut eas bibat, quoniam alias aliquas ad bibendum non habet, eas primum coquat et refrigerari permittat et sic bibat, quia rarum est, quin in eis aliqua pericula sint aut de aere aut de volatilibus, quae in eis lavantur, aut de mortifero malo, quod in cadaveribus mortuorum est, quae in se habent. Et ideo necesse est, ne in usus hominum sumantur, nisi prius coquantur. Ubi autem parvi et lucidi et puri rivuli sunt, qui de aliis aquis quasi quaedam venae procedunt, isti per emanationem suam purgantur et boni ac utiles sunt ad quoslibet usus hominum et pecorum. Aquae autem pluviarum asperae sunt et ab infirmis hominibus foetores et malos humores et putrida auferunt, sed sanos aliquantum laedunt, quod in eis non inveniunt, quod purgent. Et hae, cum in cisternis steterint, leniores fiunt et sanis et infirmis hominibus bonae sunt. Sed tamen aqua salientium et fluentium fontium multo meliores sunt. Sed et cum sol calorem suum ad se trahit, aquae maximum frigus habent et spumam suam, scilicet nivem, emittunt, quae *terram operit et* viriditatem terrae impinguat ac eam

retinet et fruges terrae non laedit. Aqua vero eius inutilis ad usus hominum est et etiam levis est et sordida; et si quis eam bibit, ulcera et scabies in eo saepissime crescunt, ac viscera eius livore implentur. Aquae enim pluviarum potatae livorem stomachi acumine suo auferunt, sed viscera exulcerant. Sed aquae nivium potatae sitim ad sufficientiam non extinguunt, quod leves sunt et cito digeruntur. Aquae autem, quas scissae nubes in nimia effusione repente emittunt, et grando ita periculosae sunt, quemadmodum ferventes aquae, in quibus setae porcorum et crines aliorum pecorum auferuntur, si quis eas in cibo aut in potu sumeret. Nam si aliquis aquas scindentium nubium et aquas grandinis biberet, diu languesceret, et caro eius per scissuras rumperetur, ita quod etiam multi ex hoc morerentur.

De terrarum viribus. Terra autem naturaliter est frigida et septem vires habet, ita tamen, quod particulata in aestate frigida est, in hieme calida est, et quod viriditatem et ariditatem in se habet, et quod germina producit et animalia sustinet, et quod omnia portat; sicut et deus in sex diebus operatus est et in septima requievit, cum etiam omnia, quae creaverat, utilitati hominis subiecit. Terra namque in aestate subterius frigida est, quoniam sol per vires radiorum suorum tunc gignit, in hieme autem subterius calida, alioquin de frigida ariditate scinderetur; et sic in calore viriditatem, in frigiditate ariditatem ostendit. Nam in hieme sol supra terram sterilis est et sub terram calorem suum figit, quatinus terra diversa germina servare possit, et sic illa per calorem et frigiditatem cuncta germina profert; sed et euntia et currentia animalia sustinet, ne in ipsa demergantur, quia et de calore et de frigiditate indurata est et sic omnia potenter portat. Deus enim sic terram posuit, ut congruenti tempore germinaret et congruenti quoque tempore in germine deficeret, quemadmodum etiam luna crescit et decrescit.

De arborum germine, frumenti et vini. Arbores etiam, quae in orientali plaga sunt et de orientalibus aquis *rigantur, bene* crescunt et bonum fructum in diversis

fructibus pomorum proferunt, quae bonum saporem habent. Sed durare diu non possunt. Frumentum autem ibi minutum est et ad profectum non bene tendit, quod terra ibi aliquantum humida est; quod terra, quae habundantiam frumenti gignit, aliquantum arida esse debet, quod magnum frigus frumentum plus laedit quam calor, quoniam frumentum aliquantum siccum est. Vineae autem ibi in oriente ad multum profectum vini proficiunt atque valde bonum vinum proferunt. Herbae autem hortorum et aliae herbae, quae in eadem orientali plaga de aquis et iuxta aquas rigantur et crescunt, quae ab oriente fluunt, virtuosae sunt et bonum odorem habent et ad medicinam valent ac bonae sunt ad cibos; et vermes raro in eis crescunt et raro eas comedunt, quod de calore et frigore bene temperatae sunt, quod vermes fugiunt, quoniam ipsi foetida humiditas sunt, ut eruca et similes, qui de spuma aeris crescunt. Sed et arbores, quae in occidentali plaga sunt et de occidentalibus aquis rigantur, bene crescunt; sed fructus diversorum pomorum, qui iuxta terram crescit et ab humiditate terrae tangitur, aliquantum nocivus est, ille autem fructus, qui in alto arborum est, ita nocivus non est, quod altitudine aeris tactus est, et bonum gustum habet et saturari multum non obest atque diu durare potest. Frumentum vero in occidentali plaga forte est, sed pingue non est, et vinum forte est, sed deliciosum non est, et durare potest, quod terra ibi calorem et frigus habet. Herbae vero tam hortorum quam camporum, quae in eadem occidentali parte de occidentalibus aquis tanguntur et irrigantur, acutae ad libidinem sunt et omnem procellam carnis, scilicet voluptatis, iracundiae et instabilitatis morum et frequentae vagationis excitant, ita quod homines, qui eas gustaverint, interdum laeti, interdum tristes et interdum veloces sunt. Et succus earundum herbarum et ipsae herbae incremento procedunt et proficiunt, quod calens calor et cadens frigus ibi cito non deficit; et ideo fortes in viriditate sunt, sed nocivae ad praefatam inutilitatem. Sed et ⟨ad⟩ magicam artem et ad *cetera fantasmata* valent, sed non multam sanitatem

corporibus hominum conferunt, quod dies ibi inclinatur et nox surgit; quoniam cum rex in honore suo stetit, malitia ibi vociferabatur et summum regem tenebris obscurare voluit; sed ipsa et acies sua torpescebat. Arbores autem, qui in australi plaga de aquis illis, quae ibi effluunt, rigantur, bene proficiunt et plurima pomaria proferunt, quae etiam durare possunt, quod calore perfusa sunt. Et frumentum ibi habundat et pingue et deliciosum est atque vinum ibi habundat et deliciosum est et multam vim habet nec facile perit, sed durare potest, quod multo calore in partibus illis temperatum est; quoniam vinum de calore plus quam de frigore crescit et frigus vinum plus laedit quam calor. Sed herbae hortorum et camporum, quae in eisdem partibus de ipsis aquis irrigantur, quae de austro fluunt, fragiles ac debiles et lividae sunt ac facile pereunt, quoniam recta humiditas aeris ipsis abstracta est. Nec multum utiles sunt ad cibum nec ad potum; sed et ad medicinam parum valent, quod facile arescunt; nec etiam multum pecoribus valent, quoniam tam homines quam pecora ex eis parum proficiunt. Arbores vero, quae in septentrionali plaga de aquis illis irrigantur, quae ibi oriuntur, facile pereunt, et fructus earum in pomis et in ceteris similibus non bene proficit, quod frigus eos laedit. Sed et frumentum ibi multo labore acquiritur, et ideo minutum ac lolio et zizania permixtum est, sed tamen aliquantum forte est. Vinum quoque modice ibi crescit, et ideo acutum et aliquantum acerbum et non multum dulce, quod sol illud ibi non temperat. Herbae quoque tam hortorum quam camporum, qui de aquis illis septentrionalibus rigantur, pingues non sunt nec multum ad medicinam valent. Sed sanos non laedunt, infirmis autem obsunt, quoniam nec de recto calore nec de recto calore nec de recta humiditate crescunt sed de frigore, et ideo non multum proficiunt nec multum fertiles sunt.

De pluvia. Pluvia, quae repente et magna effusione *super terram cadit*, noxia est et terram et fructus terrae

laedit, quia quosdam livores in se habet; moderata autem utilis est et terram irrigat et eam fructus producere facit, quoniam suavis est et ad utilitatem et fertilitatem pura ac munda est.

II.

De Adae casu. Deus ita creavit hominem, quod omnia animalia ad servitutem eius subiecta sunt; sed cum homo praeceptum dei transgressus est, mutatus est etiam tam corpore quam mente. Nam puritas sanguinis eius in alium modum versa est, ita quod pro puritate spumam seminis eicit. Si enim homo in paradiso mansisset, in immutabili et perfecto statu perstitisset. Sed haec omnia post transgressionem in alium et amarum modum versa sunt.

De spermate. Nam sanguis hominis in ardore et calore libidinis fervens spumam de se eicit, quod nos semen dicimus, velut olla aliqua ad ignem posita spumam de fervore ignis de aqua emittit.

De conceptu. Et cum aliquis homo de semine infirmi hominis concipitur vel de semine illo, quod tenue et incoctum est, sed aliqua tabe et putredine permixtum: hic saepissime in vita sua etiam infirmus erit et velut carie plenus, velut aliquod lignum, quod vermibus perforatum cariem eicit. Unde iste homo ulceribus et putredine saepe repletur ac facilius tabem et putredinem escarum sibi attrahit ad putredinem illam, quam habet. Sed homo, qui his caret, sanior est. Si autem superfluitas in semine est, tunc homo ille, qui ex hoc concipitur, incontinens, immoderatus et fragilis ac superfluus erit.

Quare homo hirsutus non est. Quod autem hirsutus non est, hoc de rationalitate est, quia rationalitas et pro pilis et pro pennis est, per quam se tegit et volat, quo voluerit. Sed quod masculus barbam habet et plures crines in corpore suo quam mulier, hoc est ideo, quia masculus de terra formatus est et quod maiorem fortitudinem et calorem habet et plus ubique versatur quam mulier; quemadmodum terra imbre et calore solis perfusa

herbas et gramina producit et super se animalia hirsuta et pennata nutrit. Mulier autem sine barba est, quia de carne viri formata est et viro subiacet et in maiori quiete est; sicut etiam reptilia illa, quae de terra nascuntur, hirsuta non sunt, sed in terra iacent et minus imbrem et solem quam cetera animalia, quae super terram sunt, sentiunt.

De reptilibus. Sed et sicut animalia ad servitutem hominis creata sunt et adiutorium illi subministrant et adiutorium praebent, cum eam perforant, ita quod aqua et pluvia eam irrigat. Unde et ipsi in humectis locis in terra semper iacent et [cum] eam flatu suo calefaciunt et spuma ac sudore suo humectant, sic quod de huiusmodi exicibus et flatibus aliquantulum roboratur et continetur. Quod vero in eo vermes venenosi sunt, hoc est de foeditate et putredine terrae. Nam pluvia et ros terram in superficie sua lavant, et sol eam calefacit; unde superius munda est et mundos fructus affert. Sordes autem et putredo ad interiora eius fluunt, et inde venenosi vermes in ipsa nascuntur, velut etiam vermes a sanie hominis in ipso crescunt, qui eum laedunt. Sic etiam vermes in terra nascuntur, qui et de se ipsa nutriuntur. Sed hi vermes fere ossibus carent, sed venenum ipsis quasi pro ossibus et pro sanguine est et eos confortat. Et quidam ex eis hirsuti non sunt, quia de humore terrae nascuntur et in terra sunt et superiora fugiunt, ita quod nec aere nec rore caeli nec calore solis perfunduntur, de quibus cetera animalia perfusa crines habent. Et quoniam homini et superioribus animalibus contrariam naturam habent, eis etiam inimicantur et veneno suo occidunt et homines ac superiora illis laedunt. Sed quamvis venenum in se habeant, aliqui tamen tam ad medicamentum hominum quam animalium valent, et si non ex toto, aliqua pars tamen corporis eorum, quod habent de bono succo terrae, quia et bonus succus terrae bonas herbas profert, ut serpens a cervo devoratus, per quem ille iuvenescit.

De volatilibus. Volucres autem et animalia et bestiae, quae in usus hominum venire possunt et sunt, vitam de

aere secundum dispositionem dei sumunt, unde super terram versantur. Vermes vero et reptilia vitam sumunt de succo terrae et ideo in terra et subtus terram libenter sunt.

De piscibus. Pisces autem vitam accipiunt de aquoso aere fluminum, unde etiam in aquis sunt et siccitatem pati non possunt. Et haec omnia cum moriuntur, vita eorum defluit in carne ipsorum velut nix in calore, et quod residuum fuerit aut in aerem aut in succum terrae aut in aquosum aerem fluminum transit, unde venit. Nec amodo illud, quod sic evanuit, aliquod animal ad vitam vivificat, quod aruit. Nam ut succus et viredo arborum atque herbarum ipsis abscisis in eis arescit et exsiccatur nec amplius alias herbas ad viridinem exsuscitat, quoniam exaruit: sic etiam et vita brutorum animalium, postquam in eis aruerit et exsiccata fuerit, nullum animal amplius vivificat, quoniam iam non est sed ex toto evanuit.

De conceptus diversitate. Nunc autem cum vir in effusione fortis seminis sui et in recto amore caritatis, quam ad mulierem habet, ad ipsam accedit muliere quoque rectum amorem ad virum tunc in eadem hora habente, masculus concipitur, quia sic a deo ordinatum est. Nec aliter fieri potest, quin masculus concipiatur, quoniam et Adam formatus est de limo, qui fortior materia est quam caro. Et hic masculus prudens et virtuosus erit, quia sic in forti semine ac in recto amore caritatis utrorumque, quem ad invicem habent, conceptus est. Si autem hic amor deest in muliere ad virum, ita quod tantum vir rectum amorem caritatis in ipsa hora ad mulierem habet et non mulier ad virum, et si semen viri forte est: masculus tamen concipitur, quod amor caritatis viri superexcellit. Sed idem masculus debilis erit et non virtuosus, quoniam hic amor in muliere ad virum defuit. Quoniam si semen viri tenue est, qui tamen amorem caritatis ad mulierem habet, et ipsa eundem amorem ad illum, ibi femina virtuosa procreatur. Si vero amor caritatis viri est ad mulierem et non mulieris ad virum, vel si amor caritatis in muliere est ad virum et non viri ad mulierem,

semen autem viri in ipsa hora tenue: item femina ex hoc nascitur propter debilitatem seminis. Sed si semen viri forte est, sed tamen nec vir ad mulierem nec mulier ad virum amorem caritatis habet, masculus inde procreatur, quod tamen semen forte fuit, sed amarus ex amaritudine parentum; vel si semen viri tenue est et neuter ad alterum amorem caritatis in ipsa hora tenet, femina nascitur amarae complexionis. Calor autem mulierum, quae pinguem naturam habent, semen viri superat, ita quod infans secundum similitudinem earum multotiens in facie formatur. Sed mulieres, quae macres in natura sua sunt, infantem ad similitudinem patris in facie multotiens generant.

De infirmitatibus. Quod autem quidam homines diversas infirmitates patiuntur, hoc de flegmate est, quod in ipsis habundat. Si enim homo in paradiso permansisset, flegmata in corpore suo non haberet, unde multa mala procedunt, sed caro eius integra esset et absque livore. Quoniam autem malo consensit et bonum reliquit, similis factus est terrae, quae et bonas et utiles ac malas et inutiles herbas gignit, et quae bonam et malam humiditatem et succum in se habet. Nam de gustu mali versus est sanguis filiorum Adae in venenum seminis, de quo filii hominum procreantur. Et ideo caro eorum ulcerata et perforata est. Quae ulcera et foramina quandam tempestatem et humectatem fumi in hominibus faciunt, de quo flegmata oriuntur et coagulantur, quae diversas infirmitates corporibus hominum inferunt. Haec de primo malo illo, quod homo primum incepit, orta sunt, quoniam, si Adam in paradiso permansisset, dulcissimam sanitatem optimae mansionis haberet, velut fortissimum balsamum optimum odorem emittit; sed e contra nunc homo habet in se venenum et flegma ac diversas infirmitates.

De continentia. Sed quidam homines sunt, qui continentes sunt, si volunt, si autem continentes esse nolunt, potentes sunt in voluntate sua. Et avari sunt et inabstinentes in pinguedine ciborum. Unde coagulatur in eis *periculosum* et venenosum ac spissum et siccum flegma,

quod non est humidum sed amarum, et quod carnes grossas et nigras atque infirmas facit in hominibus pullulare; et si isti a comestione pinguium ciborum se abstinere noluerint, facile sibi lepram attrahunt. Sed et amaritudo eiusdem flegmatis facit fumum quasi fumum melancoliae circa iecur et pulmonem eorum, et inde sunt iracundi et immites, atque humiditas sudoris eorum non est sobria sed sordida. Et isti non multum debiles sunt, sed probi sunt et audaces atque tyrannidem et rapacitatem in ira sua habent ex complexione ista. Flegma autem complexionis huius quosdam eorum cito conterit et occidit, quia vis eius fortis est; quosdam autem aliquamdiu vivere permittit.

De incontinentia. Alii autem homines sunt, qui sunt in superfluitate naturae et magis incontinentes, ita quod se vix possunt abstinere et quod etiam aliquantum infirmantur. Et hi in humido flegmate superhabundant, quia in eis indignus humor exsurgit et quia hoc nocivum flegma in eis coagulatur, quod malum fumum in pectus et in cerebrum eorum emittit. Et humiditas huius fumigantis flegmatis in pectore facit frigidam humiditatem in stomacho, et humiditas eiusdem flegmatis in cerebro attenuat auditum in auribus, ita quod in stomacho et in auribus est velut inutilis nebula, quae bonas herbas et bonos fructus laedit. Et hoc idem flegma non laedit pulmonem, quia pulmo etiam humidus est, sed laedit splen, quia illud pingue est et humiditatem renuit, quoniam, si humiditatem haberet, statim deflueret et liquefieret. Atque etiam cor debilitat, quia cor integram fortitudinem semper habebit et superhabundantem humiditatem semper recusat. Isti autem de complexione hac mites ac laeti sunt, sed tardi, et quidam eorum aliquantulum diu vivunt, quia hoc flegma eos non occidit, nec omnino sanitatem eis dat. Sunt et alii homines, qui iracundi sunt, sed iram cito dimittunt et boni sunt et laeti, sed frigidi, atque varias mentes habent et parvo cibo saturantur. Et hi de tribus flegmatibus, scilicet de sicco et humido atque tepido flegmate velut aquosam spumam *sibi* attrahunt, quae de eisdem flegma-

tibus oritur et quae velut periculosas sagittas in venas et medullas ac in carnem eorum emittit, ut fervens aqua, quae ferventem spumam eicit.

⟨*De*⟩ *flegmaticis.* Nam cum in his hominibus diversi humores flegmatum excitantur, ita quod eadem flegmata de immoderato cibo et potu ac de inepta laetitia, tristitia et ira ac de immoderata libidine in eisdem hominibus concutiuntur, tunc ebulliunt, quasi aqua in caldario igne supposito, et emittunt velut ignitas guttas et eas ut sagittas in carnem et in sanguinem et in venas eorum mittunt atque homines tanta asperitate infigunt, velut amarus fumus oculos confundit. Et qui istius complexionis sunt, in ira saepius exardescunt, sed eam cito oblivioni tradunt bonitatem amantes; ut, cum tempestas oritur, deinde sol apparet; ita quod etiam talis est vis complexionis flegmatis eorum, quod facile ad iram, facile ad laetitiam insurgunt; sed ad plenam senectutem non perveniunt.

De melancolicis. Sunt vero alii homines, qui tristes ac timidi ac vagi in mentibus suis sunt, ita quod nulla recta constitutio et status in eis est. Sed sunt ut validus ventus, qui omnibus herbis et fructibus inutilis est. Unde in his crescit flegma, quod nec humidum nec spissum est, sed tepidum, et quod est ut livor, qui tenax est, et qui se ut gummi in longum protrahit, et qui parat melancoliam, quae in primo ortu de semine Adae orta est de flatu serpentis, quoniam Adam consilium illius in cibo perfecit.

De melancoliae morbo. Et haec melancolia nigra est et amara et omne malum efflat ac interdum etiam infirmitatem ad cerebrum et ad cor quasi venas ebullire facit atque tristitiam et dubietatem totius consolationis parat, ita quod homo nullum gaudium habere potest, quod ad supernam vitam et ad consolationem praesentis vitae pertinet. Haec autem melancolia naturalis est omni homini de prima suggestione diaboli, quoniam homo praeceptum dei transgressus est in cibo pomi. Et de hoc cibo eadem melancolia in Adam et in omni genere eius crevit atque *omnem pestem* in hominibus excitat. Sed quia praedictum

flegma tepidum est, non deprimit vim melancoliae, ut alia duo praedicta flegmata; quorum alterum in humiditate et alterum in spissitudine et amaritudine sua tantam fortitudinem habent, quod huic melancoliae ita resistunt, ut caldarius super ignem pendens ignem deprimit, ne exsurgat. Homines vero huius complexionis frequenter in ira sunt et timorem in multa utilitate ad deum et ad homines habent. Et quidam ex eis aliquantulum diu vivunt, quoniam vis praedicti flegmatis eorum talis est, quod nec omnino occidit nec omnino vivificat hominem, ut in aliquo incarcerato homine evenire solet, qui nec occiditur nec abire permittitur. Sic homo, ut praedictum est, ex quatuor humoribus viget, ut etiam mundus ex quatuor elementis constat.

De elementorum commixtione. Nam deus mundum quatuor elementis colligavit, ita quod nullum ab alio separari potest, quoniam mundus subsistere nequiret, si aliud ab alio separari valeret. Sed indissolubiliter sibi concatenata sunt. Ignis enim superat ac domat et incendit aerem et fortior illo est; aer vero proximus igni ut fullo facit eum flagrare et temperat eum, quoniam ignis quasi corpus aeris est atque aer quasi viscera et velut alae et pennae ignis. Et ut corpus non est absque visceribus, sic nec ignis sine aere, quoniam aer commotio ignis est; quia ignis non arderet nec incenderetur, si aerem non haberet. Ignis quoque est ardor et calor aquae et facit eam fluere, quoniam aqua non esset liquida nec flueret, sed fortior et indissolubilior ferro et calibe foret, si calorem ignis in se latentem non haberet; ut etiam in glacie notari potest. Sed aqua est frigus ignis et fortior igne, cum ignem extinguit. Aqua enim frigida erat et non fluebat in initio creaturarum, cum terra erat inanis et vacua, sed spiritus domini ferebatur super aquas et eas calefecit, ut ignem in se haberent et ut liquefactae fluerent. Et idem frigus aquae naturaliter ex se emittit ignem et inde fervet. Nam aqua habet in se ignem et ignis in se *naturaliter* frigus aquae, quoniam aqua non

flueret, si ignem in se non haberet, et ignis numquam extingueretur, sed semper arderet, si frigus aquae in eo non esset. Et ignis est etiam temperamentum terrae fructus eius firmando et siccando atque ad maturitatem perducendo. Terra autem obstaculum ignis est, ne modum et mensuram suam transeat. Sed et aer est ventus et adiutorium aquae, sicut adiutorium ignis et retentaculum eius, ita quod retinet fluctuationem illius in recta mensura. Nam si aquam in recta mensura et itinere non teneret, illa supra modum efflueret et omnia, ad quae pertingeret, submergeret. Aqua vero facit aerem agilem et velocem in volando et fertilem in sudando, ita quod ille dat terrae fecunditatem, cum rorem ex se super eam emittit. Aer quoque est quasi pallium terrae, quia aestum et frigus ab ea depellit, cum illam temperat et cum terrae rorem infusione sua immittit. Terra autem est velut spongia et materia, quae attrahit et suscipit fecunditatem ab illo, quoniam, si terra non esset, aer officium suum, quo terram fecundat, non haberet. Sed aqua coagulatio terrae est et constringit et domat eam, ne diffluat. Terra vero sustinet et continet aquam et facit ei recta itinera et est sustentatio eius superius, ut rectum iter habeat, et sub se, ne iniuste ascendat. Nam subtus se obumbrat illam et super se continet eam. Ros autem, qui terram fecundat, ut supra dictum est, de temperamento ignis et aeris venit.

De rore. Nam cum ignis et aer invicem officium suum in placido temperamento in aestatis tempore exercent, in placida et lucida aura absque commotione tempestatum propter calorem, quem tunc invicem habent, rorem sudant, qui salubriter fecunditatem et fertilitatem ad utilitatem fructuum terrae velut semen infundunt.

De pruina. Cum autem aer in hieme ad frigus terrae se inclinat, ex hac coniunctione et collisione pruinam et ipse et frigus educunt, quae et herbas et erumpentes flores laedit et terram constringendo arefacit. Nunc autem, *ut praefatum est,* elementa, ex quibus mundus constat,

ita sibi colligata et concatenata sunt, quod numquam ab invicem separari possunt, quoniam ignis non est absque aere nec aer absque aqua nec aqua absque terra; quamvis ignis fortiores vires habeat quam aer et aqua fortiores quam ignis ac terra fecundiores et fertiliores quam haec tria. Sed asperitas unius lenitatem alterius sublevat, et lenitas alterius asperitatem istius mitigat, scilicet quod tali concordia et mensura sibi invicem naturaliter concordant, quod nullum aliud disturbat, nisi quod aliquando propter iudicium dei ad ultionem provocata aut ignes aut tempestates aut effusiones seu infertilitates producunt.

De nebula. In quibusdam enim montibus et in quibusdam vallibus ac in quibusdam aliis locis [ex quibus] aliquando per iudicium dei quaedam nebula primum nigra ascendit, quae postea, cum se dilatat, turbilenta fit et aliquantulum malum et periculosum foetorem habet. Et haec cum se per mundum spargit, morbos et pestilentiam atque mortem et hominibus et pecoribus infert. Et aliquando quaedam nebula de humiditate aquarum ascendit et ea, quae in terris sunt, tangit aliquantulum et ita in mundum spargitur. Atque aliquantulum morbos et pestilentiam hominibus et pecoribus infert, sed eos non occidit, et primos erumpentes flores fructuum aufert et fructus laedit, ita quod arbores et herbae folia sua contrahunt et quod arescunt, velut si calida aqua perfusa sint. Alia autem quaedam nebula surgit de nimio calore et de superfluitate aeris et nubium et de humiditate earum, et periculosa non est. Sed et quaedam nebula de frigore et de humore terrae ascendit et quaedam nebula de diversis aquis, quae tamen pericula hominibus et pecoribus et fructibus terrae non inferunt, quia natura earum est, ut sic suo tempore surgant. Quod sol in mane rubet, cum oritur, hoc de frigore et humiditate aeris est, quia humiditas et frigus, quae tunc sunt, rubedinem oculis hominum inferunt. Simili modo etiam in sero ad vesperam, cum sol rubet, hoc de frigore aeris est, quod tunc ad occasum inclinatur.

Quod quatuor sunt elementa tantum. Plura igitur

vel pauciora quam quatuor esse non possunt. Et ex duobus generibus constant superiorum et inferiorum. Nam superiora sunt caelestia, inferiora vero terrestria; et quae in superioribus vivunt, inpalpabilia sunt et ex igne et aere sunt; quae vero in inferioribus versantur, palpabilia et formata corpora sunt et ex aqua et limo constant.

De anima et spiritibus. Spiritus enim ignei et aerei sunt, homo autem aquosus et limosus est. -

De Adae creatione. Nam cum deus hominem crearet, limus per aquam conglutinatus est, ex quo homo formatus est, misitque deus in formam illam spiraculum vitae igneum et aereum. Et quia forma hominis ex limo et aqua fuit, ex igne eiusdem spiraculi vitae limus caro factus est, et ex aere eius aqua, per quam limus conglutinatus est, sanguis effecta est. Cum enim deus Adam crearet, splendor divinitatis massam limi, de qua creatus est, circumfulsit, et ita limus ille illata forma in liniamentis membrorum exterius apparuit et interius vacua. Tunc etiam deus interius in eadem ex eadem massa limi creavit cor et iecur et pulmonem ac stomachum et viscera et cerebrum ac oculos et linguam et reliqua interiora eius. Et cum deus spiraculum vitae in eum misit, materia eius, quae ossa et medulla ac venae sunt, per idem spiraculum confortata sunt; et illud in eandem massam ita se distinxit, ut vermis in domum suam se intorquet et ut viriditas in arbore est; et etiam ita confortata sunt, ut argentum in alium modum fit, cum illud faber in ignem proicit; et sic in corde eius sedit. Tunc etiam in eadem massa de igne animae caro et sanguis facta sunt.

De capillis. Et viriditas animae spumam et humiditatem ad caput, scilicet in cerebrum misit, unde et cerebrum humidum est, et de humiditate illa caput pilos emittit.

De interioribus hominis. Anima autem ignea, ventosa et humida est et totum cor hominis possidet. Jecur vero cor calefacit, pulmo illud tegit, stomachus autem interius *habitaculum in* corpore hominis est ad suscipiendum cibos.

Et cor proprietatem scientiae habet, iecur proprietatem sensibilatis, pulmo proprietatem folii ⟨et⟩ itineris rationabilitatis, os tuba eorum, quae homo profert, et susceptor refectionis corporis est et vocem profert, sed vocem non excipit; auris autem vocem excipit, sed vocem non profert.

De auribus. Et duae aures velut duae alae sunt, quae omnes sonos vocum inducunt et educunt, ut alae volucres in aere ferunt.

De oculis et naribus. Oculi quoque viae hominis et nares sapientia eius sunt. Et sic etiam per cetera membra factus est homo.

Quod in homine sunt elementa. Nunc autem, ut praefatum est, elementa, videlicet ignis, aer, terra, aqua in homine sunt et viribus suis in illo operantur ac in operibus illius sicut rota cum flexuris suis velociter circueunt. Nam ignis cum quinque praenominatis viribus suis in cerebro et in medullis hominis est, quoniam, cum primus homo de limo mutatus est, rutilans ignis in sanguine eius ex fortitudine dei ardebat, ut etiam sanguis rubet. Et ignis ardorem in visu, geliditatem in odoratu, humorem in gustu, aerem in auditu, et motionem in tactu hominis demonstrant. Aer autem cum quatuor viribus suis, ut praedictum est, in spiramine et rationalitate hominis est. Ipse enim viventi spiramine, quod anima est, in homine ministrat, quod eum portat, ac ala volatus eius est, ubi homo spiramen in se inducit et educit, ut vivere possit. Et anima ignis est, qui totum corpus penetrat et hominem vivificat. Aer quoque ignem accendit, et ignis per aerem in omnibus ardet. Aer etiam rorem in emissione, viriditatem in excitatione, flatum in motione, calorem in dilatatione hominis ostendit. Sed aqua cum quindecim viribus suis, quae praenominatae sunt, in humore et in sanguine hominis est.

De sanguine. Aqua enim in homine est, cum sanguis in eo non deest. Et haec humiditatem in homine facit, ita quod etiam viriditas in eo viget et quod coagulatio ossium *in eo* perdurat. De frigiditate autem venae

in homine firmantur, quod per ipsam sanguis fluit et guttas habet ac totum corpus movet. Ipsa etiam carnem cum sanguine perfundit, ut durare possit, velut etiam terram conglutinat. Sed frigiditatem aquae ignis superat, ita quod fluit, et aqua cum igne et frigiditate sua terram ita perfundit, quod per ea firmatur. Et gelu, quod aquas per glaciem indurat, in lapidibus est, unde illi molliri non possunt, quemadmodum etiam ossa in carne hominis dura sunt. Sic aqua in sanguine hominis calorem, in spiratione eius aerem, in perfectione humorem, in purgatione inundationem, in vegetatione velocitatem, in confortatione succum, in fructificatione gustum, in erectione viridatem, in fortitudine humiditatem ac in omnibus compaginibus ipsius humectationem manifestat. Terra quoque cum septem viribus suis, quae praescriptae sunt, in carne ac in ossibus hominis est, et caro illis humida est et crescit.

De carne. Sed sicut terra cum igne et aqua firmatur, sic caro hominis cum venis et humiditate composita est. De geliditate autem eius coagulatio ossium fit. Sed ignis haec omnia superat, ita quod fortitudo in homine est. Caro enim hominis de terra est et frigidum humorem habet, sed sanguis illam calefacit; et si de ipso non calefieret, in lutum, ut prius fuit, rediret; et ideo de calore sanguinis sicut terra de calore solis firmatur. Sed tamen de mollitie sua sanguinea est et vires terrae in se habet. Nam de frigida humiditate sudat, de ardore aestuat, et absque frigiditate, quemadmodum terra, durare non posset.

De generatione. Homo enim de frigiditate et caliditate fecundus est ac cum ceteris creaturis laetam vitam habet et de se genituram producit, quia calor viriditas eius ac frigiditas ariditas eius est; ac per haec omnia germinat. Cum autem homini senectus advenerit, omnis exterior calor in ipsum revertitur; alioquin vivere non posset. Et ita caro eius exterius frigescit et ipse interius calescit; unde quidquid vetus homo agit, in hoc cito fatigatur. Et animalia ei adhaerent, cum ipse illis pascitur et cum etiam illa pascit, et sic omnia fert, cum omnis creatura

in eo est. Et terra cum carne hominis in calore eius frigiditatem, in frigiditate eius calorem, in incremento viriditatem, in defectione ariditatem, in germinatione vivificationem, in multiplicatione sustentationem, in subportatione omnium membrorum ipsius compassionem ostendit. Et homo de igne sensualitatem et desiderium trahit, de aere autem cogitationes et vagationem, de aqua vero scientiam et motionem.

De Adae vivificatione. Adam enim cum terra fuit, ignis eum excitavit, et aer eum suscitavit, et aqua eum perfudit, quod totus movebatur. Tunc deus soporem in eum misit, et in his viribus coctus est, ita quod caro eius per ignem aestuabat et quod per aerem spiravit et quod sicut molendinum aqua in eo circuivit. Qui postquam evigilavit, propheta caelestium fuit et sciens in omni vi creaturae et in omni arte erat.

De Adae prophetia. Et deus omnes creaturas illi dedit, quatinus virili vi eas penetraret, quoniam illas scivit et cognovit. Nam ipse homo omnis creatura est, et spiramen vitae in eo est, quod finem vitae non habet.

De animae infusione. Quod enim anima in corpus mittitur, spiramen est, et a deo missum est, ac per corporalia opera, sive bona sive mala sunt, meritum accipit. Et haec opera quasi compago meritorum sunt. Sicut enim infans primo nescit, quod postea intelligit, quia, cum maturior erit, intellectum, qui omnia intelligit, capit, et sicut tunc opera sua considerando et osculando amplectitur et sicut postea de senectute fatigatur: sic anima per opera proficiendo procedit. Et de bonis operibus velut regali amictu cicumdatur, de malis vero obfuscatur, quemadmodum etiam terra aquis perfunditur; et quemadmodum aquae in quibusdam locis fluunt, ita anima corpus perfundit et ipsum corpus excellit, sed et ipsa oculis exterioribus clausis cum prophetia multotiens futura videt, quia sine corpore se vivere recordatur.

De Adae somno. Post primum namque somnum Adae prophetia eius vera fuit, quoniam nondum pecca-

verat, sed postea cum mendacio permixta est. Et Adam de terra creatus et cum elementis suscitatus mutabatur, Eva vero de costa Adae mutata non est.

De Evae malitia. Et idem Adam de viriditate terrae virilis et de elementis fortissimus erat, Eva autem de medullis suis mollis fuit et aeream mentem ac acutam et deliciosam vitam habuit, quoniam pondus terrae eam non pressit. Sed ut ipsa de viro est educta, sic omne genus humanum ex ipsa processit. Homo quoque in duas partes divisus est, scilicet vigiliarum et dormitionis. Sed et corpus hominis duobus modis alitur, ita quod cibo repletur et quod per somnum reficitur. Postquam autem anima corpus egressa fuerit, in alio modo deinde cum ipso victura erit, et hoc illa, quae bona est, vix sustinet. Unde etiam ad deum clamat et dicit: quando carnem meam induam, cum qua in diurnis diebus vixi? Cum enim deus omnes creaturas creavit, dies una cum integra luce, quam nox nondum diviserat, apparuit.

De exilio Adae. Sed postquam Adam peccavit, nox adesse coepit, et omnia elementa magnis tenebris obtenebrata sunt, in quibus Adam in exilium istud deductus est. Qui dum lucem saeculi huius vidit, gaudebat, quoniam ipse tenebrosus erat, ac lacrimando dixit: alio modo vivere debeo, quam prius mihi vivere deus dederit. Et ita cum sudore laborare coepit. Sed antequam Adam et Eva divinum praeceptum praevaricati fuissent, ut sol in splendore fulgebant, qui splendor etiam ipsis quasi pro vestimento fuit. Qui dum praeceptum dei transgredientes amplius non fulgebant, ut prius fecerant, sed obscuri facti sunt, et ita in obscuritate illa permanserunt. Unde cum viderent se non fulgere, sicut prius fulgebant, cognoverunt se nudos esse et foliis arboris, sicut ibi scriptum est, se obtexerunt. Et Adam ante praevaricationem absque operibus ut sol fulgebat, quod nondum aliquod opus fecerat. Sed post finem saeculi iterum iusti ut sol fulgebunt, sicut scriptum est: fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Sed cum sanctis operibus fulge-

bunt. Nam in splendore, quem tunc sancti habebunt, sancta opera fulgent et posita sunt, ut pretiosi lapides in auro ponuntur.

Quare Eva prius cecidit. Sed et si Adam transgressus fuisset prius quam Eva, tunc transgressio illa tam fortis et tam incorrigibilis fuisset, quod homo etiam in tam magna obduratione incorrigibilitatis cecidisset, quod nec salvari vellet nec posset. Unde quod Eva prior transgrediebatur, facilius deleri potuit, quia etiam fragilior masculo fuit. Caro et cutis Adae fortior et durior fuit quam hominum nunc sit, quia Adam de terra formatus fuit et Eva de ipso. Sed postquam filios genuerunt, caro illorum semper et semper fragilior et fragilior facta est, et ita usque in novissimum diem erit.

De diluvio. Cum autem Adam de paradiso expulsus est, aqua ante diluvium tantae velocitatis in cursu suo non erat nec tantae liquiditatis, ut postea facta est. Sed supra se quasi membranam habebat, quod eum aliquantulum retardabat, ita quod paulatim fluebat. Sed et terra tunc non fuit limosa sed arens atque fragilis, quod per aquam nondum transfusa fuit. Sed de primo praecepto fructum supra modum dabat. Tunc etiam homines obliti erant deum, ita quod plus secundum pecora quam secundum deum faciebant. Unde multi magis pecora quam homines diligebant, ita quod etiam pecoribus tam feminae quam mares tali modo commiscebantur et communicabant, quod imago dei iam paene in eis destituta fuit [in eis]. Et omne genus humanum in monstra transmutatum et transformatum, ita quod etiam aliqui homines secundum bestias mores et voces suas formantes constituebant currendo, ululando et vivendo. Nam bestiae et pecora ante diluvium tantae asperitatis nondum fuerunt, ut postea facta sunt. Nec homines illa nec illa homines fugiebant, nec ab invicem exterrita fuerunt. Sed bestiae et pecora cum hominibus libenter manebant et homines cum illis, quod etiam in primo ortu simul originem paene sumpserunt. Sed et bestiae et pecora lambebant homines et homines illa, unde

et magis se invicem in contrarietate amabant et sibi cohaerebant. Sed tamen Adam quosdam filios procreaverat, qui divina ratione ita repleti erant, quod se ad nullam turpitudinem commiscere volebant, sed quod in sanctitate permanerent. Unde et filii dei dicebantur.

Quare filii dei. Et hi aspiciebant et investigabant, ubi homines illi essent, qui se pecoribus non commiscuissent et qui cum pecoribus destituti non essent, quamvis filii praevaricatorum essent, sicut superius dictum est. Unde et filii hominum dicebantur, quia tamen nec in formis suis nec cum pecoribus destituti erant. Et de filiabus istorum uxores duxerunt et ex eis filios procreaverunt, ut scriptum est: videntes filii dei filias hominum, quod essent pulchrae. Sed et quaedam bestiae et pecora adhuc sunt, quae hoc modo, ut praedictum est, plurimum sibi de humana natura ab hominibus contraxerunt. Tunc clamor huius iniquitatis ante oculos dei ascendit, quoniam imago dei contracta et elisa erat et rationalitas confusa in fornicatione. Unde spiritus dei, qui in creatione mundi ferebatur, super aquas emisit aquas, et membrana aquarum, per quam aquae prius aliquantulum retardabantur, ne tanta velocitate fluerent, ut modo fluunt, dirupta est, et aqua in cursu suo velox facta est et homines submersit. Tunc aqua terram ita transfudit, quod velut ferruginea facta est et firma et quod in omnibus fructibus novum succum et fortiorem quam prius dedit et quod vinum emisit, quod antea non apparuit. Sed et lapides, qui cum terra creati sunt et qui terra operti erant, per aquam manifesti sunt et apparuerunt, et quidam eorum scissi sunt, qui prius integri fuerunt.

De lapidum gignitione. Lapides autem nec antea nec postea creverunt exceptis illis, qui in fluminibus limpidi et globosi apparent, sed tantum cum terra creati modo per diluvium revelati sunt.

De iri. Tunc deus posuit arcum suum in firmamento caeli ad roborandum firmamentum et ad resistendum aquis. Et idem arcus est igneus et colores aquarum habet, qui

tam fortes contra aquas sunt sicut nubes, ita quod igne et coloribus suis aquas sustinet, ut rete pisces retinet, ne de se effluant. Et post diluvium maior sapientia et maiores virtutes factae sunt in hominibus quam prius fuissent et apparuissent. Ante diluvium autem tota terra hominibus et bestiis plena fuit, nec aquis nec silvis ab invicem separati fuerunt, quia nondum magna flumina aut magnae silvae erant, sed tantum fontes et parvi rivuli, qui facile transvadari potuerunt, et pauca nemora, quae facile homines transcurrebant. Sed post diluvium quidam fontes et quidam rivuli in magna et periculosa flumina effusi sunt, et magnae silvae creverunt, quibus etiam homines et bestiae separati sunt, ita quod postea homines bestias et bestiae homines abhorrebant. Nam etiam ante diluvium non pluit, sed tantum ros super terram descendit. Postquam autem terra perfusa est et firmata in diluvio aquis, terra naturaliter pluviam aquarum petit.

De terrae situ. Et terra modica est et prope fundum firmamenti est, quod si in medio firmamenti esset, tunc eam oporteret maiorem esse et tunc etiam facile caderet et dirumperetur, si tantam amplitudinem aeris sub se haberet, quantam super se habet. Sed et ipsa ad meridiem quasi descensus montis est, unde etiam ibi maiorem calorem de sole habet, quia sol et firmamentum ipsi viciniora ibi sunt. Ad aquilonem vero alta est adversum poenas, et etiam ibi maius frigus est, quia nec firmamentum nec sol ibi prope terram sunt, sed quaedam maior amplitudo firmamenti.

Quod homo constat de elementis. Nunc autem, ut supra dictum est, quemadmodum elementa mundum simul continent, sic etiam elementa compago corporis hominis sunt, atque effusio et officia eorum ita se dividunt per hominem, ut insimul contineatur, velut etiam per mundum effusa sunt et operantur. Ignis enim, aer, aqua et terra in homine sunt, et ex his constat. Nam ex igne habet calorem, ex aere halitum, ex aqua sanguinem et ex terra carnem, *ita quod* etiam de igne habet visum, de

aere auditum, de aqua motionem atque de terra incessum. Et ut mundus in prosperitate est, cum elementa bene et ordinate officia sua exercent, ita quod calor, ros et pluvia singillatim et moderate in tempore suo se dividunt ac descendunt ad temperiem terrae et fructuum et multum fructum et sanitatem afferunt; quoniam, si simul et repente ac non in tempore suo super terram caderent, terra discinderetur ac fructus eius et sanitas interiret: sic etiam, cum elementa ordinate in homine operantur, eum conservant et sanum reddunt; sed cum in eo discordant, eum infirmum faciunt et occidunt. Nam coagulationes humorum a calore, humiditate, sanguine et a carne in hominem descendentes et in eo existentes, si cum tranquillitate et iusto temperamento in illo operantur, sanitatem habent; si autem eum simul indiscrete tangunt et super eum in superfluitate cadunt, illum debilem faciunt et occidunt. Calor enim ac humiditas ⟨et⟩ sanguis et caro propter transgressionem Adae in contraria flegmata in homine mutata sunt.

De flegmatis diversitate. Nam ab igneo calore siccum et ab aerea humiditate humidum ac ab aquoso sanguine spumaticum et a terrena carne tepidum flegma trahitur et excitatur. Et si aliquod istorum supra modum crescit in homine, ita quod ab alio non compescitur nec temperatur, hominem perdit et debilitat; si vero unumquidque modum suum recte servat, ita quod etiam sic ab alio temperatur, quod recte mensuram suam habere compellitur, hominem sanum continet et reddit. Cum enim unum in dominio potestatis superexcellit, aliud huic in servitute subiacet, atque reliqua duo cum livore moderate subsequuntur, et sic homo in tranquillitate corporis est.

De humoribus. Nam cum quatuor sunt humores, duo praecellentes flegmata dicuntur, et duo subsequentes dicuntur livores. Unusquisque autem humor, qui supereminens est, proximum se subsequentem quarta parte et dimidia parte tertiae partis superat; et ille, qui subiectus est, duas partes ac reliquam partem tertiae partis temperat, *ne modum suum* transeat. Qui enim primus humor

est, hoc modo secundum superat, qui duo flegmata dicuntur; et secundus tertium, ac tertius quartum, qui duo, videlicet tertius et quartus, livores vocantur. Et superiores in habundantia sua minores transeunt, et minores habundantiam illorum sua vacuitate temperant. Et cum homo sic est, in tranquillitate est. Cum autem quilibet humor modum suum excedit, homo ille in periculo est. Sed cum aliquis livor praedictorum modum suum iniuste transierit, sufficientes vires non habet, ut supereminentes sibi humores vincat, nisi aut subsequente livore, si praecedens est, instigetur, aut a praecedente, si subsequens est, iuvetur. Et in quocumque homine huiusmodi livor supra mensuram suam in superfluitate se extenderit, ceteri humores in illo pacifici esse non possunt, nisi tantum in illis hominibus sit, quos gratia dei infudit aut in fortitudine ut Samsonem aut in sapientia ut Salomonem aut in prophetia ut Iheremiam aut in quibusdam paganis, ut Plato fuit et sibi similes. Et ubi alii praedicti insaniunt, ibi erunt isti per gratiam dei in probitate fortissimi, quia gratia dei permittit eos interdum esse in aliqua vicissitudine, ita quod interdum sunt in infirmitate, interdum in sanitate, interdum in timore, interdum in robore, interdum in tristitia, interdum in laetitia. Et hoc reparat in eis deus, ita ut, cum sunt infirmi, facit eos sanos, cum timidi, facit eos robustos, cum tristes, facit eos laetos. Unde si in quolibet homine siccum flegma superexcellit humidum et humidum spumam et tepidum, ibi siccum flegma est velut domina, et humidum quasi ancilla, atque spuma et tepidum velut minora et sublatentia et livida servitia. Et tunc haec duo posteriora secundum vires suas illorum superiorum livor sunt. Et hic homo naturaliter prudens est et iracundus ac vehemens in operibus suis. Et stabilis in his non est, quod siccitas ea consumit et iterum facile in eis exsurgit, ut flamma, quae cito cadit et cito resurgit. Et sanus est et diu vivit, sed ad plenam senectutem non pervenit, quia, postquam caro eius ab igne exsiccata fuerit, plenum *adiutorium* de humido non habet.

De frenesi. Quod si forte spuma vel tepidum, quae tunc ibi sunt attracta, livor praedictorum flegmatum, scilicet sicci et humidi, et iure in quiete esse deberent, modum suum excesserint sicut unda, quae supra modum in aqua movetur: in venenum vertuntur, et ex eis talis tempestas oritur, quod nullum eorum alii consentit et quod officium suum recte non exercent. Et ista praedicta duobus superioribus ita obsunt, quod omnia quatuor sibi repugnant. Et homo ille, qui hanc diversitatem et contrarietatem in corpore suo patitur, freneticus erit, quia, cum interiores humores sibi invicem resistunt, homo ille furit et se ipsum decerpit, nisi funibus ligetur. Et hoc tam diu facit, usque dum praedicta spuma et praedictum tepidum attenuata in rectum ordinem suum redeunt, et langaevus non erit. Si autem humidum superexcellit siccum et siccum spumam et tepidum, quae etiam tunc illorum subsequens livor sunt: hic homo naturaliter prudens est et stabilis et in his perseverat et sanus in corpore est ac longaevus erit.

De contractis. Sed si spuma et tepidum, quae tunc livor humidi et sicci sunt, modum suum transierint, ita quod spuma ascendit et velut ferventem aquosum fumum facit et quod tepidum stillat, sic in discordia turbinem parantes cervicem hominis flectunt ac dorsum eius incurvant atque faciunt eum totum contractum, usque dum ab hoc malo cessaverit; sed diu sic vivere potest.

De stultis. In quo autem siccum transcendit spumam et spuma humidum et tepidum, hic in stultitia interdum est iracundus ac interdum in stultitia laetus. Et debilis non est et aliquantum robustus et diu vivere potest, si voluntas dei est.

De paralysi. Quod si humidum et tepidum, quae tunc livor sicci et spumae sunt, modum suum velut periculosus ventus efflaverint, quasi in commotionem ventorum vertuntur atque periculosum sonum faciunt velut sonum tonitrui. *Et sonus ille* sonat in venas et in medullas atque in *tempora hominis* illius. Unde qui haec patitur, paralyticus

efficitur atque impotens totius corporis sui; et hoc tam diu, usque dum praedicti livores cessaverint et in rectum iter suum redierint. Sed diu vivere poterit, si deus permiserit.

De bonis moribus. Sed si spuma excedit siccum et siccum humidum et tepidum, tunc homo ille bonos mores habet et benevolus est ac tener corpore, sed diu non vivit.

De amentia. Quod si humidum ac tepidum, quae etiam tunc livor spumae et sicci sunt, modum suum transeunt, mox humidum ut rota circumvolvitur atque hominem illum interdum in aquam praecipitat ac interdum in ignem, et tepidum in amentiam eum mittit. Et hic homo talis est, quod in ipso scientia evanescit, unde etiam amens efficitur. Nec est ad plenum sanus nec ad plenum infirmus.

De insania. Cum vero in aliquo siccum excedit tepidum et tepidum humidum et spumam, quae subsequuntur: hic homo insanus est mente et corpore ac sibimet ipsi et aliis hominibus in moribus suis horribilis est ac inutiliter praeceps in omnibus causis suis et aliquantulum sanus, et diu vivere potest.

De desperatione. Sed si humidum vel spuma, quae tunc livor sicci et tepidi sunt, modum suum efflaverint, ita quod humidum amarum fumum in illum emittit et quod eum spuma lividum ac lubricum ut testudinem facit, tunc hoc modo parant in eo sonum, velut sonum flantis aquilonis, atque cadunt super cor eiusdem hominis atque super sensus eius, ita quod nec in deo nec in homine nec in ulla creatura spem aut confidentiam habere potest. Et haec tam diu durant, usque dum praedicti livores ab horrore suo cessaverint.

De timidis. Unde melius illi esset mori quam vivere. Sed tamen diu vivere potest. Si autem tepidum superexcellit siccum et siccum humidum et spumam, iste multas pressuras in moribus suis in semetipso habet et iram ac tristitiam ac interdum laetitiam, quorum tamen nullum ad perfectum *ducit,* quia in his omnibus timidus est, *ut unda in aqua,* quoniam haec cuncta in semetipso timet.

Et aliqui istorum diu vivunt, sed tamen maior numerus eorum cito in mortem deficit.

De mutis. Quod si humidum aut spuma, quae etiam tunc ibi sunt attractus livor praedictorum flegmatum, scilicet tepidi et sicci, et iure in quiete esse deberent, modum suum excesserint: humidum velut ferventem aquosum fumum parat, et spuma obligat et strangulat rationalitatem in homine, ita quod loqui non potest sed quod obmutescit. Sed quoniam ille exterius loqui non valet, tanto sapientior interius in anima est, et quia etiam rationalitas in ipso exterius ligata est, scientia eius in ipso liquitur et sentit. Et hic homo malus non est, sed et sanus in corpore et diu vivit.

De bonitate. Sed cum in aliquo homine humidum superexcellit spumam et spuma siccum et tepidum, quae sequuntur, tunc haec duo subsequentia secundum vires suas illorum duorum praecedentium, scilicet humidi et spumae, livor sunt, et iste homo naturaliter valde bonos mores habet et laetus est, et caro eius crescit, nec facile irasci potest nec amarus est; sed infirmus est et longaevus non erit, quod siccitas in eo modica est.

De cancrosis. Si vero siccum vel tepidum, quae tunc livor humidi et spumae sunt, modum suum transierint, eructum cum sonitu ac singultum faciunt in homine atque parant in illo cancrum et faciunt, quod illum vermes comedunt, atque faciunt carnes corporis illius in informis ulceribus exturgescere, ita quod etiam hoc modo in inturgente tumore brachium eius vel pes ipsius maior erit quam alter. Et hoc tam diu faciunt, dum cessaverint ab hac peste, unde diu non potest vivere.

De podagra. Quod si spuma transgreditur humidum et humidum siccum et tepidum, homo ille bonam scientiam habet, sed praeceps et nimis vehemens in scientia est, ita quod scientiam suam in diversa spargit ut paleam, quae a vento spargitur, et dominium appetit super alios habere. Et sanus in corpore est, praeter quod facile in cruribus infirmatur et quod podagram facile attrahit; sed diu vivere potest, si deo ita placuerit.

Qui se interficiunt. Sed si siccum aut tepidum, quae tunc livor sunt spumae et humidi, cursum suum excesserint, tunc siccum supergreditur spumam et humidum atque complicat ea, et tepidum facit ferventem aquosum fumum in homine, ita quod homo ille se ipsum in mortem praecipitat, nisi aut a deo aut ab hominibus probibeatur. Et iste nec ad plenum sanus nec ad plenum infirmus est, sed est ita inter utrumque. Et diu vivere potest, si custodiam habet.

De gutta. In quo autem humidum siccum excedit et tepidum siccum et spumam, quae restant hic, adversa pati potest apud se ipsum et apud alios homines et tristis in mente sua est et magnam iram non habet, sed utilis in moribus suis est; sed nec valde infirmus est, praeter quod aliquando a peste, quae dicitur gutta, fatigatur; et longaevus erit.

De instabilitate. Si autem siccum vel spuma, quae tunc livor sunt humidi ac tepidi, modum suum transeunt, siccum se sursum tendit in illo, ut herba illa, quae dicitur *winda*, et spuma parat in eo amarum ructum, atque sic faciunt pariter in ipso inordinatum cursum, ita quod ubique discurreret ac se totum discerperet, si permitteretur. Et istud tam diu durat in illo, dum isti livores in ipso cessaverint. Sed diu vivere potest, si deus et homines ipsum custodierint.

De iracundis. Quod si tepidum transcendit humidum et humidum siccum et spumam, hic homo ástutus est et pacem fugit et discordiam atque certamina amat; et aridus in corpore est, sed gulosus in cibo; nec sanitatem habet, sed tamen ex hoc in lecto non procumbit, sed ita ambulat; et diu vivere potest, sed ad perfectam senectutem non pervenit, quia, antequam ad senectutem perveniat, ⟨moritur.⟩

De syncopi. Si autem siccum vel spuma, quae tunc livor sunt tepidi et humidi, modum suum transgrediuntur, siccum flammam suam exaltat, ita quod homo ille gulosus erit in crapula, et spuma facit eum cupidum escarum.

Unde ille circumvolvitur interdum ut rota, ita quod cadit interdum ut mortuus. Sed haec pestis spiritum illius apud se habet, ne moriatur, usque dum cessaverit. Et iste infirmus est et ad perfectum senectutem non pervenit.

De instabilitate. Cum vero in aliquo spuma excellit tepidum et tepidum siccum et humidum, quae illud tunc in hoc modo ut attractus livor subsequuntur, quemadmodum et de ceteris supra scriptum est: tunc hic homo aliquando ineptam laetitiam et ineptam tristitiam ac aliquando ineptam iram habet, sed benevolus est; et foetidum ac sordidum flegma atque indignum odoratum et gustum in se patitur; nec sapiens est, et raro pervenit ad senectutem.

De obsessis. Quod si siccum vel humidum, quae tunc ibi sunt attractus livor praedictorum flegmatum spumae et tepidi, et iure in quiete esse deberent, modum suum excesserint: ibi evanescit et deficit sientia animae illius et gustus et sensus eius, ac tunc aerei spiritus veniunt ac hominem illum impediunt et haeresim in eo parant ac eum circumvallant, quoniam scientia animae ipsius obdormivit; atque hoc modo periclitatur, nisi deus depellat eos.

De severitate. Unde idem in semetipso arescit, et sic diu vivere non valet. Si autem tepidum superexcellit spumam et spuma reliqua duo flegmata, videlicet siccum et humidum, quae tunc in livore secundum vires suas ei obiecta sunt: ille homo durus est nec ulli parcit et mali sciscitator et amarus in moribus suis, nec ulla sufficiunt ei; sed crassus est et sanus, sed diu vivere non potest.

Item de frenesi. Sed si forte siccum vel humidum, quae tunc ibi sunt attractus livor praedictorum flegmatum, videlicet tepidi et spumae, et iure in quiete esse deberent, modum suum excesserint: ibi siccus livor supra modum suum ascendit et intorquet se in hominem atque fugat spiritum eius quasi ad momentum, et humidus livor parat in eo errores, ita quod se discerpit et mala ac insana verba emittit; sed et iracundus est et malus atque freneticus in cerebro et inquietus, atque raro ad senectam pervenit.

De sanitate. Quod si praedicti humores rectum ordinem

suum et iustam mensuram, ut praefatum est, in homine servant, ille in quiete et sanitate corporis est; si autem sibi invicem repugnaverint, debilem et infirmum, ut praescriptum est, eum faciunt.

Quod quatuor sunt humores tantum. Ex uno autem humore aut ex duobus aut ex tribus homo constare non potest, sed ex quatuor, ut invicem temperentur, sicut mundus ex quatuor elementis constat, quae sibi invicem concordant.

De dei vindicta. Quae si aliquando propter iudicium dei terrores suos inordinate emiserint, multa pericula et mundo et hominibus inferunt, ita quod ignis est velut lancea, aer ut gladius, aqua ut clipeus et terra ut iacula ad vindictam hominum provocata. Elementa enim subiecta sunt homini, et secundum quod ipsa tanguntur ab operibus hominum, sic officia sua interdum exercent. Nam quando homines se invicem intermiscent cum proeliis, terroribus, odio et invidia ac in contrariis peccatis, tunc evertunt se in alium et in contrarium modum aut caloris aut frigoris aut magnarum effusionum et inundationum. Et hoc est de prima dispositione dei, quia eis sic a deo constitutum est, ut secundum opera hominum aliquando operentur, quoniam ab operibus illorum tanguntur, ubi homo cum eis et in eis operatur. Cum autem homines in recto itinere sunt et moderate et bona et mala operantur, tunc illa exercent officia sua de gratia dei secundum necessitatem hominum.

De paenitentia. Sed cum eadem elementa terrores suos, ut dictum est, ad homines emittunt, tunc homines plorent, clament cum suspiriis et lacrimis, ut haec elementa suscipiant et ad sanguinem immaculati agni deferant, et gratia dei succurret eis.

De casu Luciferi. Lucifer tanta fortitudine porrectus est a caelo, quod non permittitur a Tartareo loco moveri. Nam si moveri posset, omnia elementa fortitudine sua immutaret, ita quod etiam firmamentum retrorsum incedere faceret et quod solem et lunam et stellas obfuscaret et quod aquis cursum suum retineret et multa contraria in creaturis faceret. Huic adhaeret omnis turba daemonum,

quorum quidam maioris fortitudinis, quidam minoris sunt. Sed quidam etiam sunt, qui cum hominibus saepius conversantur et sacra loca minus fugiunt et etiam crucem domini et divina officia minus abhorrent. Et hi omnes cum illo in mundum machinantur. Sed ad magnitudinem illius diabolus est fere tantae fortitudinis et potestatis et malitiae, sicut et ille est quasi aviditas et velut voluntas ipsius. Et quia ille moveri non permittitur, in mundum quasi Python daemonum mittitur. Nam virtutem decipiendi per simulationem habet et multa alia vitia, ita quod Adam in paradiso seduxit et dominum terrae eum nuncupavit, et flatum Luciferi in Antichristum per fortitudinem illius feret ad concipiendum eum; cuius fortitudo ad locum illum ascendet, a quo diabolus proiectus corruit; ubi zelus domini ignis factus in nigra materia procellarum tantae fortitudinis et amaritudinis est, quod saepe in elementis exurit et scindit et voce sua terrores emittit, ita quod diabolus prae terrore istius vires suas aperte exercere non audet, nisi ut fur; unde et mendax est. Iste zelus etiam in novissimo die elementa exuret et scindet, qui est dei vindicta. Et quod beato Iohanni evangelistae prohibuit, ne scriberet voces, quae tonitrua locuta sunt[1]), hoc ideo factum est, quia omnes terrores et angustias tunc ostendebant, quae homines ante et postea passi sunt et patientur; quoniam, si ea praesciret homo, illa prae infirmitate carnis et prae nimiis horroribus ferre non posset; quoniam homo ea facilius tolerat, dum per tempora et per intervalla temporum contingunt, quam si homo ea una hora praesciret. Ac ideo factum est, quia tonitruum tam terribile est et tantae fortitudinis ac horroris, quia si homo sciret, quid tonitruum esset, illud timeret, ut verum deum prae terrore illius, quoniam vocem suam audit, postponeret. [Venti sunt super solem et subtus et circa eum et sua fortitudine ignem eius dissipant et dispergunt, quia si hoc non facerent, sol

---

1) Apoc. 10, 4.

tantum ardorem ignis emitteret, quod nec terra nec cetera elementa aut aliae creaturae hoc sufferre possent.]

De furore. Nam si in homine humor unus alios superhabundans rectum ordinem suum et mensuram non tenuerit, homo ille debilis et infirmus erit; si vero duo inordinate pariter in homine exsurrexerint, ille durare non potest, quia aut furit aut omnino in corpore perit, quoniam haec recte mixta non sunt; aut si tres se simul supra modum suum extenderint, hic homo debilitatur et cito morietur. Si autem omnes quatuor inordinate efflaverint, homo ille cito in ictu oculi et in momento ab eis subito occiditur, quoniam ad nullum tempus subsistere posset, sed totus dirumperetur, velut omnia in novissimo die concutiuntur, cum quatuor elementa sibi invicem repugnant.

De Adae plasmatione. Deus fecit de limo hominem, sed vir mutatus est de limo in carnem, et ideo est propria causa et dominator creaturae. Atque terram operatur, ut fructus pariat, et est fortitudo in ossibus, in venis ac in carne, et est integro capite ac spissa cute atque fortitudinem suam apud se habet et semen producit sicut sol lumen. Mulier autem mutata non est, quia de carne sumpta caro permansit, et ideo datum est ei artificiosum opus manuum, et quasi aerea est, quoniam infantem in utero portat et eum generat. Atque divisum caput habet et tenuem cutem, scilicet ut infans, quem in utero portat, aerem habere possit.

De conceptu. Tale autem est initium ortus et coagulationis cuiusque hominis. In homine est voluntas, consideratio, potestas et consensus. Voluntas praecedit, quia quisque homo voluntatem habet illud vel illud facere. Et consideratio sequitur et aspicit, utrum causa illa sit conveniens aut inconveniens, sobria an impudica. Tunc potestas sequitur, quae opus perficiendi in se habet, ut illud perficiat. Et consensus sequitur, quia opus non potest perfici, quin consensus laudet, ut consentiat. Istae quatuor vires sunt in ortu hominis. Tunc quatuor elementa, quae quatuor humores in homine excitant, cum

superfluitate et tempestate veniunt, ita quod ignis, scilicet siccum, supra modum voluntatem accendit; et quod aer, videlicet humidum, supra modum considerationem movet; et quod aqua, scilicet spuma, supra modum potestatem fluctuare facit; et quod etiam terra, videlicet tepidum, supra modum consensum ebullire facit. Et haec omnia de nimietate superfluitatis quasi tempestatem faciunt et de sanguine venenosam spumam, quod semen est, educunt, quod, cum in locum suum cadit, sanguis mulieris illi se coniungit, et ex hoc sanguineus erit. Prima enim inceptio hominis per delectationem, quam serpens in pomo primo homini insufflavit, exoritur, quia tunc sanguis viri ex delectatione concutitur. Unde et idem sanguis frigidam spumam mulieri immittit, quae ex calore maternae carnis coagulatur et in sanguineam formam extenditur; ac eadem spuma in eodem calore sic permanens postmodum a sudore sicci ciborum matris in spissitudinem parvae humanae staturae crescit, quousque scriptura creatoris, quae hominem formavit, eandem spissitudinem humanae staturae totam perfundit, quemadmodum faber elatum vas suum format. Nam in transgressione Adae fortitudo viri in genitali membro versus est in venenosam spumam, atque mulieris sanguis versus est in contrariam effusionem. De forti enim et de recta natura viri sanguis eius semen habet, quia de terra caro factus est. Sed de recta natura mulieris sanguis eius, quia debilis et tenuis est, semen non habet, sed tantum tenuem et parvam spumam emittit, quoniam de duobus modis terrae et carnis non est, ut vir, sed tantum de carne viri sumpta est; et ideo debilis et fragilis est et vas viri est. Et de amore viri sanguis eius concutitur et velut spumam, sed magis sanguineam quam albam, ad semen viri emittit, quae se illi coniungit et quae illud calidum et sanguineum facit et confortat. Nam postquam in locum suum ceciderit et iacuerit, frigescit. Et tam diu quasi venenosa spuma est, usque dum ignis, videlicet calor, illud calefacit, et dum aer, videlicet *spiramen,* illud exsiccat, et dum aqua, scilicet fluor, illi puram

humiditatem admittit, et usque dum terra, scilicet cutecula, illud constringit. Et tunc sic erit sanguineus, id est non totum sanguis, sed aliquantulum sanguine permixtum. Et quatuor humores, quos homo a quatuor elementis trahit, ita circa idem semen moderate et temperate manent, usque dum quasi caro coaguletur et confirmetur, ita quod forma hominis in eo figurari potest. Et tunc ex eo figuratur ut pictura forma hominis, et medulla ac venae in totam formam illam se ut fila infigunt et per eam se totam dividunt et velut nodos compaginis in eo ubique faciunt, sed et velut membrana ovi medullam eius circumdant, quae postea in ossa erit. Et tunc ita tam plane et tam aperte figuratur ut forma aliqua, quam pictor aperte in formam aliquam figurat. Et ubicumque membra futura erunt, ibi divisiones usque ad cuteculam, quae ea adhuc simul retinet, scinduntur, velut limus, qui ad ardorem solis scinditur, ac tunc sicca caro fit siccata de veneno, atque recta caro recto sanguine perfunditur. De calore enim matris in pinguedinem coagulationis proficit nondum vivens, sed in praefato calore persistens, et hoc opus in uno mense est, scilicet quo luna crescit et deficit; et sic etiam praedicta coagulatio crescit et pinguescit, quoniam, si in hac pinguedine non vivificaretur, tota siccaretur, de qua siccitate mater multum tarda et dolens efficeretur.

De animae infusione. Deinde sicut deus vult et sicut fieri disposuit, venit spiraculum vitae et formam illam matre nesciente tangit ut vehemens calidus ventus, velut ventus, qui in parietem cum sono flat, ac se infundit et infligit in omnes compages membrorum formae illius. Et sic omnes divisiones membrorum eiusdem formae a se suaviter ita dividuntur, ut flores ad calorem solis se dividunt. Sed et adhuc tanta imbecillitas in eadem forma est, quod moveri non potest, sed iacet, ut dormiat, et modice spirat. Et spiritus totam formam illam pertransit eam replendo et confirmando in medulla et in venis, ita quod tunc plus crescit, quam prius faceret, usque dum ossa *super* medullam extenduntur et dum

venae tantae fortitudinis fiunt, quod sanguinem retinere possunt. Et tunc infans matre sentiente movetur, quasi repente excitetur, ac deinde semper mobilis permanet. Nam, ut praedictum est, vivens ventus, qui anima est, per voluntatem omnipotentis dei figuram istam intrat et eam firmat vitalemque facit ac in ipsa undique circuit, velut vermis, qui sericum texit, in quo ut in domo obtegitur et includitur. Atque sic in hac figura sentit, ubi anima dividi, incurvari et inclinari potest, et etiam omnia loca venarum considerat et primum ipsas exsiccat in modum cavae harundinis ac eas carni infigit, quam in ruborem sanguinis calore ignis sui convertit, quod anima ignis est; unde et spiramine suo totam figuram illam perfundit, sicut et tota domus per ignem, qui in ipsa fit, illuminatur, et omnes venae loca sua, quibus continentur, retinent, ut etiam terra cum aquis continetur. Anima autem omnibus istis praedictis ut vivus aer sanguinem fluere faciens est, ac carnem cum sanguineo livore in sedula humiditate contrahit, sicut esca per ignem in olla coquitur, et ossa confortat easque in carnes figit, quatinus eaedem carnes per illa sustineantur, ne deficiant, quemadmodum homo domum suam lignis aedificat, ne cadendo destruatur. Et istud secundus mensis est, in quo praedicta figura in defectum et profectum lunae per animam confirmatur. Anima, quod in venis est, [et] cum sanguine carnes et ossa complet, quod profectum lunae significat. Quod autem nondum se movere potest, hoc defectum lunae designat. Sic anima in figura ista residet omniaque loca, cum quibus ipsa opera faciet, inspicit, quoniam se totam eandem figuram moturam sentit, sicut rota molendinum circuire facit. Et hoc secundum cursum solis in circulo suo incipit. Nam ut sol in mane exoritur, et ut cursum suum a mane in tertiam, a tertia in sextam, a sexta in nonam, a nona in vesperum protendit, sic et ipsa in oculis sedet, ut illos per fenestras videndo lucem praeparet, et etiam in pectore, ut cogitationibus circuire illam faciat, *ac in corde, quatinus* illam cum scientia volare ostendat, in

ventre quoque omnia viscera eius velut rete connectens eaque in cavas cavernas confirmans, in quibus cibi servantur, per quos praedicta figura pascitur; quos dentes molunt, qui sine medulla velut radix per humidum ignem animae sine aqua consiti sunt, ita quod idem cibi ventri immittuntur, in quo usque ad temperatum tempus manent. Anima quoque succum cibi in cerebrum, in cor, in folia pulmonis, in iecur et in omnes venas dividit ac fortitudine caloris stomachum et viscera illa, quae cibum portant, confortat, ne diffluant, sed quod in loco suo consistant. Et tunc etiam in crura se declinat, igneo calore suo illa confirmando ac omnia apposita aedificia crurum sustinendo, quemadmodum domus columnis confirmatur et sustentatur. Ac deinde etiam pedes et divisiones pedum, sicut deus illos scribendo creavit, intrat, quoniam sicut pedes columnarum ipsas columnas, sic et pedes hominis crura ipsius sustinent. Ipsa enim anima figuram corporis firmat, vivificat et illuminat, ideo quod etiam in corpore flammans ignis est, sicut et ignis in tota domo et in omnibus angulis lucet et sicut totam domum illuminat. Unde et homo velut sol et luna est, quia sicut prima hora diei diem ostendit, ita et anima per fenestras oculorum lumen videndo aspicit, et ut tertia hora diei eandem [animam] dilatat, sic et anima cogitationes in pectore multiplicat; et quemadmodum etiam sol in sexta hora fortiter ardet ac omnia in potestate sua habet, ita et anima in corde plurima sciens in operibus suis multa ostendit; et sicut sol in nona in quandam geliditatem se inclinat, ⟨quia⟩ opus diei iam perfecit, ita in anima est, cum ipsa in ventre operatur cum cibis, quibus homo pascitur, qui per solem radicant, crescunt, perficiuntur. Circa vesperum autem sol sub terram se abscondit, et nox apparet, quia anima in cruribus manet, quae totum hominem continent, et circa horam illam opere fessus et cibo vacuatus homo dormitat, dum iterum sol oriatur. Anima enim succum ciborum toto corpori recte dividit et reliquum *emittit, quem*admodum vinum a faece se

emundat, nec corpus in ullo loco ab anima vacuum est, quia ipsa calore suo totum corpus perfundit. Homo namque ex quatuor elementis creatus constat, quorum duo spiritalia, duo carnalia sunt, ignis scilicet et aer spiritalia, aqua vero et terra carnalia. Et haec quatuor in homine in unum se coniungunt, ipsum quoque coquunt, ut sanguineus et carnalis cum omnibus appendiciis suis fiat. Sed ignis et aqua sibi invicem contraria sunt nec in unum habitare possunt, unde oportet, ut uterque eorum per magistrum regatur. Aqua etiam igni resistit, ne ulterius, quam positus est, ardendo procedat, et ignis aquam constringit, ne ultra calorem siccitatis plus, quam iustum sit, fluat, et istae duae vires ignis et aquae totam terram cum aere nubium temperant, ut subsistant et non deficiant. Sic quoque in sanguine hominis est, qui de calore ignis rubet et de aqua aquosus est, quia, si sanguis in calore suo aquosus non esset, nequaquam flueret, sed aresceret et quasi squama caderet. Si etiam terra aquosa non esset, sicut stipula spargeretur, nec una integra creatura esse posset. Unde ad istas duas vires reliqua creatura pendet, et absque istis nulla forma formaretur, et si haec duo in unum ita coniuncta non essent, ceterae formae non subsisterent. Deus etenim sic hominem de terrae creavit limo, quod ipse cum spiramine animae, terra aquosa, ignea et aerea consistit, et ita anima hominem cum quatuor elementis movet, quia per terram formata figura cum digito dei consistit et per aquam miscetur, per aerem movetur atque per ignem coquitur. Corpus autem habet gustum, gustus delectationem, anima vero desiderium, desiderium autem voluntatem. Et anima est ut ignis, corpus vero ut aqua, et simul sunt. Sic homo opus dei est. Ideo etiam quodque opus, quod corpus postulat, anima in ipso operatur, ideoque anima operatrix est et corpus desiderat, animaque potentior corpore est, quoniam ipsa desiderium ipsius perficit, nec ipsa possibilitatem sine corpore hominis haberet, quae hominem, qui opus dei est, *pertransit et movet*; et ipsa absque corpore non esset, nec

corpus cum carne et sanguine non nisi per animam moveretur; anima autem sine corpore vivere potest, nequaquam autem corpus sine anima vivit, quae post novissimum diem indumentum suum reposcit et illud secundum desiderium suum tunc regit. Sic quoque homo in duabus naturis est, scilicet corpus et anima, ut etiam caro non sine sanguine nec sanguis sine carne est, quae tamen in natura sua dissimiles sunt, et sicut anima nullatenus sine corpore sit et deus nullo modo sine opere est. Opus enim suum ante aevum et in aevo aeternaliter in ipso latuit, quemadmodum anima invisibiliter in corpore latet. Anima autem sine corpore vivit, et post novissimum diem indumentum suum a deo desiderat, ut sibi illud attrahat; et ita etiam deus, qui ante aevum et in aevo vita sine principio fuit, in constituto tempore indumentum suum, quod aeternaliter in ipso latuit, sibi attraxit. Et hoc modo deus et homo unum sunt ut anima et corpus, quoniam deus hominem ad imaginem et ad similitudinem suam fecit. Ut autem quaeque res umbram habet, sic etiam homo umbra dei est et umbra ostensio facturae est et homo omnipotentis dei in omnibus miraculis suis ostensio est, ipseque umbra est, quia initium habet. Deus autem nec initium nec finem habet. Unde omnis caelestis harmonia speculum divinitatis est, et homo speculum omnium miraculorum est dei.

De generatione. Tunc etiam flegmata et humores in eo crescunt, secundum quod natura seminis eius fuit, quoniam secundum quod triticum aut siligo aut ordeum seminatur, secundum hoc etiam et grana naturaliter proferunt. Et sicut superflui humores in homine tam diu ad multam insaniam et in multa pericula vertuntur, usque dum sedati cessent et usque dum in rectam mensuram suam redeant, sic etiam infans de prima seminatione seminis in multas vicissitudines hac et illac vertitur, antequam spiritus se in eo moveat et antequam in eo recte operetur.

De secundina. Nunc etiam, postquam semen hominis

recte in locum suum ceciderit, ita quod etiam in formam hominis figurari debet, tunc etiam de menstruo sanguine mulieris pellicula velut vasculum circa eandem formam crescit, quae ipsam comprehendit et circumdat, ne hac et illac moveatur aut cadat, quia ille coagulatus sanguis ibi congregatur, ita quod eadem forma in medio eius iacet, ut homo in habitaculo domus suae. Atque in eo habet calorem, et adiutorium in eo nutritur de nigro sanguine iecoris mulieris usque ad partum.

De rationabilitate. Et infans tam diu in vase illo clausus iacet, usque dum rationalitas in eo plenitudinem suam habens erumpere vult. Itaque amplius claudi et silere non potest nec debet, quia infans in ventre matris clamare non potest.

De partu. Sed cum iam partus instat, vas, in quod infans clausus est, scinditur, et vis aeternitatis, quae Evam de latere Adae educit, mox veniens adest atque omnes angulos habitaculi corporis mulieris de locis suis evertit. Et omnes compagines corporis mulieris fortitudini illi occurrunt et eam suscipiunt ac se aperiunt. Atque ita se continent, dum infans egrediatur, ac deinde iterum replicant se, ut prius fuerunt. Sed et anima infantis, interim dum infans egreditur, sentit vim aeternitatis, quae eam misit, ac interim laeta est.

De sensualitate. Postquam autem infans egressus fuerit, mox vocem fletus emittit, quia tenebras mundi sentit. Nam cum deus animam in humanum corpus mittit, scientia in ea est, quasi dormiat. Sed postquam corpus intraverit, scientia in ipsa excitatur, cum se in carnem et in venas infligit.

De scientia. Cum vero partus hominis institerit, ita quod divina vis claustra materni uteri aperit, tunc infans virtutem dei ibi sentit, atque scientia in anima eius tunc ad discendum et ad capiendum quaeque ad plenum exsurgit, cum ad haec per optionem et per desiderium excitatur. Nam cum homo quodlibet opus vel quamlibet artem per optionem et per desiderium scire vult, spiritus

sanctus rore suo viriditatem scientiae illius perfundit, unde et discit et capit, quae discere vult. Sicut enim pater et mater infanti suo respondent, cum ab eis aliquid petit, sic etiam spiritus sanctus scientiam hominis ad quamlibet artem adiuvat, cum eam homo per optionem et per desiderium et per laborem discere quaerit. Sed cum homo se ad malum aliquod et ad malam artem vertit et illud discere cupit, tunc diabolus hoc videns scientiam eius perversitate et versutia sua afflat, ut malum hoc, quod discere cupit, cito discat, quia etiam homo scientiam boni vel mali habet. Postquam autem infans de ventre matris egressus fuerit, deinde mobilis, agilis et operans est et sudat et diversa flegmata atque humores habet, secundum quod et natura complexionis de ortu eius est et secundum quod etiam augeri et minui possunt de escis et de potibus.

De lacte. Sed et cum mulier semen de viro concipit, ita quod in eo crescere incipit, tunc etiam de eadem naturali vi sanguis mulieris sursum ad ubera trahitur, et quod de esca et potu sanguis esse debebat, in lac vertitur, ut ex hoc infans nutriatur, qui in ventre illius crescit. Et ut infans in utero matris suae crescit, sic et lac in uberibus eius augmentatur, ut ex hoc infans nutriatur.

De mulieris subiectione. Nunc autem, ut mulier est servitium viri, usque dum unum efficiantur, ita est etiam mulier copulatio seminis viri sanguine suo, ita ut una caro fiant.

Item de conceptu. Unde cum semen viri in locum suum cadit, tunc sanguis mulieris cum voluntate amoris illud suscipit et in se introrsum trahit, sicut spiramen in se aliquid tollit. Et sic sanguis mulieris cum semine viri miscetur, et unus sanguis fit, ita quod etiam caro eiusdem mulieris de hoc permixto sanguine fovetur, crescit et augmentatur. Ac ideo sic est mulier una caro cum viro de viro. Sed caro viri de calore et de sudore mulieris interius *et exterius* coquitur, atque sic de spuma

et de sudore eiusdem mulieris in se introrsum trahit. Nam de fortissima vi voluntatis viri sanguis eius liquefactus diffluit atque ut molendinum circumvolvitur ⟨et⟩ aliquid de spuma et de sudore mulieris in se suscipit, ac sic caro eius de muliere miscetur, ita quod cum ea et de ea caro una fit; et quoniam vir et mulier sic una caro sunt, facile mulier de eodem viro fetum concipit, ita tamen, si fecunda ad fetum est. Quod autem vir et mulier una caro sic fiunt et sunt, hoc in latere viri latitabat, ubi mulier de latere viri sumpta caro eius facta est, ac ideo vir et mulier tanto facilius ad conceptionem in sanguine et sudore suo sic in unum confluunt. Sed vis aeternitatis, quae infantem de ventre matris suae educit, virum et feminam sic unam carnem facit.

De adulterio. Quod si vir et mulier iustae copulationis suae obliti ad alienam copulam cum ardente libidine se verterint, ita quod iniusta copulatione alieno communicant, tunc vir sanguinem suum, qui sanguis rectae uxoris suae est, ad alienam mulierem coniunxit, similiter et mulier sanguinem suum, qui et sanguis recti mariti sui est, alieno viro copulavit. Unde et filii, qui de istis tam iustis quam iniustis maritis seu tam iustis quam iniustis uxoribus postea nascuntur, multotiens infelices erunt, quia de diversis moribus et de diverso sanguine, scilicet tam virorum quam mulierum, originem conceptionis suae contraxerunt. Et ideo huiusmodi parentes apud deum praevaricatores rectae institutionis dicuntur, quam deus in Adam et in Evam constituit. Et sicut Adam et Eva praeceptum dei praevaricati se et omnes filios suos in mortem tradiderunt, ita et isti, qui hoc modo divinam institutionem contaminant, se ipsos et illos, qui sic ab eis nascuntur, polluunt et ⟨in⟩ infelicitatem mittunt, quoniam rationalitas in eis polluta est et quia in moribus suis communes pecoribus se fecerunt.

De semine tenui. Quod si etiam mulier aliqua concipit et mox alium virum ad se accedere permittit, cum *adhuc semen* illud tenue est, tunc multotiens sudor et

calor illius viri huic semini aliquantulum coniungitur, ita quod inde quasi de foetido vento polluitur, velut, si quis ad coagulationem lactis alium liquorem adderet, illud exinde contaminaretur.

De seminis diversitate. Homo autem ille, in quo siccum, id est ignis, superexcellit, durum ingenium ad discendum artes habet, sed postquam eas didicerit, fortiter illas in stabilitate retinet. In quo autem humidum, id est aer, superhabundat, facile ingenium ad discendum artes habet, sed stabilis in scientia esse non potest, quia postquam aliqua didicerit, facile ea oblivioni tradit. Sed in quo spuma, id est aqua, superexcellit, velox quidem ingenium ad discendum artes habet, sed antequam eas ad perfectum didicerit, putat se eas scire, cum nesciat. Unde cum se in eis extulerit, deficit, quia nondum eas ad perfectum cepit. In quo vero tepidum, id est terra, superhabundat, durum et difficile ingenium ad discendum artes habet; sed cum de quibusdam cum difficultate tamen aliquid ceperit, prae duritia ingenii sui retinere illas non valet. Unde taedio victus, cum eas retinere non potest, discere multotiens desistit atque idem, quod didicerat, dimittit. Sed tamen in quibusdam, quae ad terram et ad saecularia negotia respiciunt, aliquando prudens est.

De carnis delectatione. Venae autem, quae in iecore et in ventre masculi sunt, in genitalibus eius sibi occurrunt. Et cum ventus delectationis a medulla masculi egreditur, in lumbos eius cadit et gustum delectationis in sanguine movet. Et quia locus lumborum aliquantum artus et strictus et clausus est, ventus ille in eo non multum se diffundere potest et ibi fortiter in delectatione ardet, ita quod in ardore illo sui obliviscitur et quod se continere non valet, quin spumam seminis educat, quoniam propter clausuram lumborum ignis delectationis fortius, quamvis rarius, in eo ardet quam in muliere. Nam quemadmodum in magnis undis, quae de fortibus ventis et procellis in fluminibus assurgunt, navis periclitatur, ita quod vix interdum contineri et subsistere potest, sic

etiam in procella delectationis natura viri difficile compesci et contineri valet. Sed in undis, quae de leni vento surgunt, et in procellis, quae de lenibus turbinibus ascendunt, navicula quamvis per laborem contineri poterit; et sic est natura mulieris in delectatione, quia facilius compesci potest quam natura delectationis viri. Nam delectatio in viro igni assimulatur, qui interdum extinguitur, interdum accenditur, quia ignis, qui assidue arderet, multa consumeret; ita etiam delectatio interdum in viro surgit, interdum cadit, quoniam, si semper in eo ferveret, vir eam sufferre non posset.

De virilibus et colericis. Quidam autem masculi sunt, qui viriles exsistunt, et hi cerebrum forte et spissum habent. Cuius exteriores venulae, quae pelliculam eius continent, aliquantum rubeae sunt. Et color faciei eorum aliquantum rubicundus velut in quibusdam imaginibus videtur, qui rubeo colore colorantur, et spissas ac fortes venas habent, quae ardentem sanguinem cerei coloris portant, et spissi circa pectus sunt atque fortia brachia tenent; sed valde pingues non sunt, quoniam fortes venae et fortis sanguis ac fortia membra carnes eorum in multa pinguedine incrassari non permittunt.

De renibus. Ventus quoque, qui in lumbis eorum est, magis igneus quam ventosus est; qui duo tabernacula sibi subdita habet, in quae flat ut in follem. Et haec tabernacula stirpem omnium virium hominis circumdant et ei in adiutorium sunt, ut aliqua parva aedificia iuxta turrim posita, quae illam defendunt. Ac ideo duo sunt, ut tanto fortius praedictam stirpem circumdent et solident ac teneant, et ut tanto fortius et aptius praefatum ventum excipiant et ad se trahant, et ut aequaliter eum emittant, velut duo folles, qui aequaliter flant in ignem. Unde etiam cum eandem stirpem in virtute sua erigunt, eam fortiter tenent, et ita eadem stirps frondet in prolem.

Item de Adae exilio. Cum enim Adam caecus et surdus in transgressione factus est, haec vis in exilium et in alienam rem in eo ivit, et in praedicta loca geni-

talium hominis furtive fugit et ibi remansit. Sed et viri isti, quos praediximus, prudentes sunt et ab aliis timentur atque amplexiones ad feminas habent et alios viros aliquantum devitare et fugere student, quia magis feminas quam viros diligunt. Nam femineam formam in coniunctione tam valde amant, quod se continere non possunt, quin sanguis eorum magno ardore ardeat, cum aliquam feminam viderint vel audierint vel cum eam in cogitationibus suis ad memoriam suam duxerint, quia oculi eorum velut sagittae sunt ad amorem feminae, cum eam viderint, et auditus eorum velut validissimus ventus, cum eam audierint, et cogitationes eorum quasi procella tempestatum, quae contineri non potest, quin super terram cadat. Isti viriles viri sunt et fabri in fertilitate sua vocantur, quia ardenter semper fertiles sunt in plurimas et plurimas proles ut arbor, quae in se plurimos ramos late extendit. Et ideo etiam de magno igne amplexionis, qui in ipsis est, velut sagittae sunt. Qui si coniunctionem feminarum habent, tunc sani et laeti sunt; si autem eis caruerint, tunc in semet ipsis arescunt et quasi moribundi vadunt, nisi aut ex superfluitate somniorum aut cogitationum aut perversitate alterius rei spumam seminis sui de se excutiant, quia in tanto ardore libidinis sunt, quod etiam interdum ad aliquam insensibilem creaturam, quae non vivit, accedunt et se illi ita contorquent, quod se ab eodem ardore quasi defendendo et alleviando spumam seminis emittunt in illa libidine et poena ardoris, quae in ipsis est, fatigati, quoniam ipsis continentia gravis est. Unde si isti aliqua necessitate seu pudoris seu timoris seu amoris dei compulsi mulieres fugere voluerint, eas ut venenum devitent et fugiant, quia difficile et vix ulla reverentia et continentia ipsos inhibere poterit, quin feminas amplectentur, cum eas viderint. Homines autem, qui de his nascuntur, multotiens acerbos mores habent et incontinentes in libidine sunt et tam perversi in moribus suis ad humanos mores sunt, velut informis forma est, quae ex informi et igne fere combusto ligno formatur, ad similitudinem pul-

chrae formae, quae de pulchro ligno fit, quoniam diabolica suggestio plurimam societatem habet in coniunctione illa, cum in multa superfluitate seminantur. Sed tamen, cum isti in bene et recte moderato ardore amplexionis sunt, qui tunc ex ipsis nascuntur, valde sapientes et valde utiles ac valde veloces erunt atque virilis faciei et pulchrae pulchritudinis.

De sanguineis. Alii autem masculi sunt, qui calidum cerebrum habent et amabilem colorem faciei candore et rubedine permixtum ac pingues venas sanguine plenas atque spissum sanguinem recti et rubei coloris. Sed et delectabilem humorem in se habent, qui nec tristitia nec acerbitate oppressus est, et quem acerbitas melancoliae fugit et devitat. Et quoniam calidum cerebrum et rectum sanguinem habent, et quoniam humores eorum oppressi non sunt, pingues carnes in corporibus suis habent. Consuetudo autem, quae in femoribus eorum est, magis ventosa est quam ignea, et ob hoc abstinentiam habere possunt, quia plurimus ventus, qui in femoribus eorum est, ignem in eis compescit et temperat. Et cum idem ventus et ignis in istorum duo tabernacula interdum cadunt, omnia officia sua in honore et sobrio amore perficiunt, ita quod etiam stirps eorum in florem honorifice frondet, quoniam isti aureum aedificium in recta amplexione dicuntur, quia rationalitas sentit in eis, unde sit, ac ideo moderatio in eis fit et humani gestus. Et his necesse est, ut se ad habitationem virorum coniungant, quoniam muliebris natura suavior et levior est quam virilis natura. Sed cum mulieribus in honestate et fertilitate esse possunt et se etiam ab eis abstinere valent et pulchris et sobriis oculis eas inspiciunt, quoniam, ubi oculi aliorum ad eas velut sagittae sunt, ibi oculi istorum ad ipsas honeste symphonizant, et ubi auditus aliorum quasi validissimus ventus ad ipsas sunt, ibi auditus istorum velut sonum citharae habent, et ubi cogitationes aliorum quasi procella sunt, ibi isti prudentes amatores in honorificentia vocantur. Saepe autem multas poenas sustinent, ubi in possibilitate

sua se continent, sed in eis est temperata prudentia, quam feminea ars habet, quae bonam continentiam ex feminea natura contrahit, et etiam intelligibilem intellectum habent. Sed qui de his nascuntur, continentes et felices ac utiles et probi in omnibus operibus sunt et sine invidia manent, quod ventus et ignis in femoribus parentum eorum recte ipsos temperavit; quoniam ignis excedendo ventum non superavit, sed ventus ignem temperavit. Et qui sic procedunt, utiles erunt; praedicti autem masculi, si absque mulieribus sunt, ingloriosi manent velut dies, qui sine sole est. Sed ut cum die et per diem sine sole fructus continentur, ne arescant, sic isti absque mulieribus manentes modice temperato tenore continentur; cum mulieribus autem iocundi sunt, velut dies cum sole clarus est. Et quia in visu, in audito et in cogitationibus suaves sunt, saepius quam alii aquosam spumam et non coctam de se emittunt, quod et vigilando et dormiendo eis contingit. Atque facilius quam quidam alii seu cum semet ipsis seu cum aliis rebus a calore libidinis solvuntur.

De melancolicis. Alii autem viri sunt, quorum cerebrum pingue est, et pellicula eiusdem cerebri et venae eius turbidae, atque austerum colorem faciei habent, ita quod etiam oculi eorum aliquantum ignei et viperei sunt, et duras et fortes venas habent, quae nigrum et spissum sanguinem in se continent, et grossas et duras carnes habent atque grossa ossa, quae modicam medullam in se tenent, quae tamen tam fortiter ardet, quod cum mulieribus velut animalia et ut viperae incontinentes sunt. Et ventus, qui in lumbis eorum est, in tribus modis exsistit, ita quod igneus est et ventosus ac fumo melancoliae permixtus, et ideo rectam dilectionem ad nullum habent; sed amari et avari et insipientes sunt et superflui in libidine ac sine moderatione cum mulieribus velut asini; unde si de hac libidine interdum cessaverint, facile insaniam capitis incurrunt, ita quod frenetici erunt. Et cum hanc libidinem in convictionem mulierum exercent, insaniam capitis non patiuntur; sed tamen amplexio, quam

ad feminas sobrie deberent habere, tortuosa atque odiosa et mortifera est velut rapidorum luporum. Quidam autem ex istis propter fortes venas et propter medullam fortiter in se ardentem libenter cum feminis secundum humanam naturam sunt, sed tamen eas odio habent. Quidam autem femineum sexum devitare possunt, quia feminas non diligunt nec eas habere volunt, sed in cordibus suis tam acres sunt ut leones, et mores ursorum habent; sed tamen utiles et prudentes sunt in operibus manuum suarum atque libenter operantur. Ventus autem delectationis, qui in duo tabernacula praedictorum virorum cadit, tanta immoderatione et tam repentino motu venit, quemadmodum ventus, qui totam domum repente et fortiter movet, et stirpem in tanta tyrannide erigit, quod eadem stirps, quae in florem florere debebat, in acerbitatem vipereorum morum se intorquet et in huiusmodi malitia velut mortifera et occidens vipera in progenie sua malitiam habet, quia suggestio diaboli in libidine virorum istorum ita furit, ut, si possent, feminam in coniunctione hac mortificarent, quoniam nulla opera caritatis et amplexionis in eis sunt. Unde filii aut filiae, quos sic de se producunt, multotiens diabolicam insaniam in vitiis et in moribus suis habent, quoniam absque caritate emissi sunt. Nam qui de his nascuntur, saepe infelices erunt et tortuosi in omnibus moribus suis, et ideo ab hominibus amari non possunt, nec ipsi mansionem cum hominibus libenter habent, quoniam multis fantasmatibus fatigantur. Si autem cum hominibus manent, odio et invidia et perversis moribus cum eis sunt, et nullum gaudium cum eis habent. Quidam tamen ex his nati prudentes et utiles interdum fiunt, sed tamen in eadem utilitate tam graves et contrarios mores ostendunt, quod inde nec diligi nec honorari possunt, velut ignobiles lapides, qui sine nitore iacent, quasi extincti sint, et qui inter nitentes lapides non diliguntur, quoniam pulchrum nitorem non habent.

De flegmaticis. Sed et alii masculi sunt, qui pingue cerebrum et album et siccum habent, ita quod etiam

venulae eiusdem cerebri magis albae quam rubeae sunt, et grossos ac squalidos oculos habent et muliebrem colorem in facie, et non serenam cutem, sed quasi extincti coloris; sed et latas et molles venas habent, quae tamen non multum sanguinem in se continent, ita quod etiam idem sanguis aliquantum sanguineus non est, sed aliquantum spumosus. Et carnes in corpore suo ad sufficientiam sibi habent et molles secundum carnes feminarum, sed fortia membra, non autem audacem nec strenuum animum tenent. In cogitationibus vero et in loquela sermonum suorum audaces et strenui sunt ut ignis, cuius flamma repente surgit et repente cadit, ac etiam in habitu suo audaciam ostendunt, sed eam in operibus non habent et magis opinione quam opera in conversatione sua demonstrant. Ventus autem, qui in lumbis eorum est, modicum ignem habet, ita quod modice calet, velut aqua, quae vix calida est. Et duae domus eius, quae ut duo folles esse deberent ad excitandum ignem, derelictae sunt in defectione nec vires habent, ut stirpem erigant, quoniam plenitudinem ignis in se non continent. Et isti in illa amplexione amari possunt, quod et viris et feminis cohabitare valent et quod fideles sunt; ita quod homines mortifero odio non habent, sed et in corporibus suis modicum gustum primae creaturae, ubi Adam et Eva sine carnali amplexione processerunt, cum tamen isti in illa et in ista genitura deficiant. Et quoniam in eis semen secundum genus virorum esse non potest, ideo nec in barba nec in aliis huiusmodi causis virorum viriles esse valent. Sed et quia etiam invidi non sunt, ideo de bona opinione, qua in natura sua debiles sunt, feminas amant, quae etiam debiles sunt, quod femina in debilitate sua ut puer est, et inde idem viri aliquando modice incalescunt, ita quod interdum modicum barbae emittunt, velut aliqua terra, quae modicum graminis profert. Sed perfectionem aratri non habent, ut terram scandant, quia feminis ita coniungi non possunt, quemadmodum fertiles viri, sed steriles sunt. Unde etiam in animo suo non multum in libidine laborant, nisi quod

eam interdum in opinione et optione habent. Et quia hunc defectum in corporibus habent, ideo etiam tardi in ingenio sunt, et venae temporum eorum non sunt plenae in viriditate, sed ad similitudinem calamorum et quarundam herbarum fragiles venas habent, nec viriles dicuntur, quoniam venae eorum frigidae sunt et quia etiam semen eorum tenue et incoctum velut spuma est, nec illud ad congruum tempus retinere possunt.

De mulieris delectatione. Delectatio autem in muliere soli comparatur, qui blande et leniter et assidue terram calore suo perfundit, ut fructus proferat, quia si eam acrius in assiduitate incenderet, fructus magis laederet quam eos produceret. Ita etiam et delectatio in muliere blande et leniter sed tamen assidue calorem habet, ut prolem concipiat et pariat, quia, si semper in delectationis fervore maneret, apta ad concipiendum et ad generandum non esset. Cum enim delectatio in muliere surgit, levior in ea est quam in viro, quoniam huiusmodi ignis in ea tam fortiter non ardet ut in viro.

De viri delectatione. Nam cum tempestas libidinis in masculo surgit, in eo ut molendinum circumvolvitur, quia etiam lumbi eius velut fabrica sunt, in quam medulla ignem mittit, ita quod et fabrica illa eundem ignem in genitalia loca masculi transfundit ac eum fortiter ardere facit. Sed cum ventus delectationis ex medulla feminae egreditur, in matricem, quae umbilico adhaeret, cadit et sanguinem mulieris ad delectationem movet, et quia matrix circa umbilicum mulieris amplum et velut apertum locum habet, ventus ille in ventrem eius se dilatat, et ideo lenius, quamvis prae humiditate sua saepius, ibi in delectationem ardet, et ideo etiam aut prae timore aut prae pudore facilius quam vir a delectatione se continere valet, ita quod etiam spuma seminis ab ea rarius quam a viro eicitur et modica et tantae exiguitatis ad spumam viri ut frustum panis ad integritatem eius. Sed tamen multotiens evenit, cum praedicta spuma post delectationem ab ea non eicitur, quod venis matricis, quae candidae et pingues

sunt, commiscetur, ut tandem per menstrua effluat et, quod residuum remanet, ab ea effunditur, aliquando etiam in ea dissipatur et conteritur et ad nihilum deducitur, cum sine tactu viri in delectationem movetur. Sed et fertilis natura feminae frigidior est et magis sanguinea quam natura viri, et vires eius debiliores viribus viri sunt, et ideo etiam in delectatione lenius ardet quam vir, quia femina tantum vas est, ut prolem concipiat et pariat, ac ideo etiam ventus eius ventosus est et venae apertae atque membra eius solubiliora sunt quam viri. Viri autem, qui fertiles sunt, si se a mulieribus continent, aliquantum infirmantur, sed non tantum quantum feminae, quod plus seminis quam mulieres effundunt. Sed feminae aridae, si viris carent, sanae sunt, si autem viros habent, debiles sunt. Sicut quoque inundatio pluviarum et tempestatum interdum exsurgit et interdum silet, et sicut mustum nunc per fervorem ebullit nunc cadit, sic etiam mali humores aliquando in homine eriguntur, aliquando tabescunt, quia, si in malo fortitudinis suae semper erecti essent, homo non posset subsistere, sed cito periret. Sanguis enim in quolibet homine secundum incrementum et detrimentum lunae crescit et minuitur.

De lunae mutatione et humorum. Nam cum luna ad plenitudinem suam crescit, tunc et sanguis in homine augetur, et cum luna decrescit, tunc et sanguis in homine minuitur. Sic semper est tam in muliere quam in viro. Cum enim sanguis in homine ad plenitudinem incrementi sui pervenerit, si tunc in homine non decresceret, homo durare non posset, sed totus dirumperetur.

De tempore gignitionis. Et cum in incremento lunae sanguis in homine sic augetur, tunc homo etiam, scilicet tam femina quam vir, fertilis est ad fructum, videlicet ad generandum prolem, quia in augmento lunae, cum etiam augmentum sanguinis hominis est, forte et robustum est semen hominis, et in detrimento lunae, cum etiam detrimentum sanguinis est in homine, semen hominis debile et absque fortitudine est, velut faeces sunt, et ideo tunc magis

defectus est ad prolem propagandam. Quod si tunc aliqua mulier prolem conceperit, sive masculus sive femina fuerit, hic homo infirmus et debilis et non virtuosus erit. In incremento ergo lunae sanguis tam in femina quam in masculo augetur et in detrimento lunae tam in femina quam in masculo minuitur usque ad quinquagesimum aetatis suae annum.

De menstruo. Sed cum in detrimento lunae sanguis in masculo minuitur, in femina sanguis per menstruum tempus etiam minuitur. Quod si menstruum tempus in augmento lunae alicui feminae occurrerit, tunc magis in tempore illo dolet, quam si in detrimento lunae ipsi accidisset, quoniam in augmento sanguis ei augeri debebat, qui tunc per menstruum tempus minuitur. Post quinquagesimum vero annum sanguis in homine secundum cursum lunae iam nec augetur nec minuitur tanta fortitudine et velocitate, ut prius fecit, sed usque ad octogesimum annum carnem in illo aliquantulum plus incrassari facit quam antea solita fuisset, quia idem sanguis in eo iam et augeri et minui cessat. Post octogesimum annum tam caro quam sanguis masculi in eo defluunt et cutis contrahitur et rugae oriuntur, cum in iuventute cutis eius plana et extenta fuit, quia carne et sanguine plena erat. Et quoniam post octogesimum annum caro et sanguis in masculo defluunt, ipse debilis efficitur; unde cibo et potu velut puer semper his indigens reficiendus est, ut, quod tunc carne et sanguine minus habet, esca et potu suppleatur. Sed in mulieribus post quinquagesimum annum menstrua deficiunt exceptis illis, quae tantae sospitatis et fortitudinis sunt, quod in eis menstrua usque ad septuagesimum annum protrahuntur, et deinde sanguine, velut prius fecit, amplius non profluente caro earum incrassatur usque ad septuagesimum annum, quoniam tunc per menstrua non attenuatur. Post septuagesimum vero annum caro et sanguis in eis iam defluunt, et cutis earum contrahitur et rugae surgunt ac debiles fiunt cibo et potu *ut puer saepius* refocillandae, quia carne et sanguine tunc

evacuantur, et quoniam debiliores masculis sunt, cum haec miseria senectutis usque ad octogesimum annum in masculis protrahatur. Sed et in animalibus brutis in augmento lunae sanguis augetur et in detrimento eius minoratur, sed tamen parcius quam in hominibus, exceptis illis animalibus, quae de sudore et humore terrae nascuntur et nutriuntur, quae magis de veneno et de tabe quam de sanguine exsistunt, et exceptis piscibus, qui in aqua viventes ex aqua exsistunt, qui modicum sanguinem habent. In arboribus quoque, quae in radicibus suis frondent, in augmento lunae succus augetur et in detrimento lunae minoratur, et ideo, si in augmento lunae abscinduntur, tunc propter succum et humorem, qui in ipsis remansit, a vermibus et a carie plus consumuntur, quam si in detrimento lunae abscinderentur, quia, si in minoratione lunae abscinduntur, tunc succo in eis attenuato aliquantulum in quandam duritiam vertuntur, ita quod vermes in eis tanto minus crescunt et quod ea caries tanto minus laedere potest.

De arborum putatione. Positiones etiam et putationes arborum meliores sunt ad stabilitatem in detrimento lunae quam in augmento eius, quoniam si in augmento lunae fiunt, tunc propter crescentem et superhabundantem succum multotiens defluunt et minus radices capiunt et minus ad profectum proveniunt, quam si in detrimento lunae fiant. Nam si in decrescente luna fiunt, tunc succo aliquantum minorato maior et fortior vis arborum interius latet, et ideo citius radices capiunt et stabiliuntur quam in superhabundanti succo, quia cum postea increscente luna succus tunc etiam et putatio illa egreditur.

De vinearum putatione. Cum etiam palmites vitis ad culturam vinearum abscinduntur, ad maiorem utilitatem et ubertatem fructuum proveniunt, si abscindantur in decrescente luna quam in crescente, quia quanto plus in augmento lunae inscinduntur, tanto plus succus et lacrimae in ipsis effluunt. Et sic vitis aliquantulum aridior erit, quam si in detrimento lunae inscindantur, quoniam tunc

vis interius remanet et inscisio supercrescit et durescit ad crescentem lunam.

De herbarum collectione. Nobiles autem et bonae herbae si in augmento lunae de terra abscinduntur vel eradicantur, cum plenae sunt, meliores ad electuaria et ad unguenta et ad quamque medicinam valent quam si in detrimento lunae colligantur.

De pomorum collectione. Sed et quaeque olera et poma, quae in augmento lunae colliguntur, et carnes pecorum, quae etiam occiduntur, maiorem ubertatem ad esum habent, quia tunc aut succo aut sanguine plenae sunt, quam si in detrimento lunae colligantur aut occidantur, excepto si diutius servari debuerint, quoniam tunc melius et utilius est propter constrictionem decrescentis lunae, qua constringuntur, ut olera et poma colligantur et pecora occidantur in detrimento lunae, quatinus tanto diutius durare valeant.

De segetum incisione. Frumentum quoque, quod in augmento lunae per messores in messe abscinditur, plus farinae reddit, quam si in detrimento eius abscinderetur, quoniam in augmento lunae plenitudinem suam in se habet, quae in detrimento illius aliquantum strictior erit. Sed tamen quod in decrescente luna abscinditur, in virtute sua diutius durare potest, quam si in crescente lunae abscindatur. Et frumentum, quod in incremento lunae abscinditur, sed in terram pro semine proicitur, citius radices capit et citius in gramen surgit et citius plus graminis affert, si tamen minus frumenti, quam si in decrescente lunae abscindatur.

De tempore seminandi. Quod autem in detrimento lunae abscinditur, si seminatum fuerit, tardius quidem surgit et crescit et minus graminis habet, sed tamen maiorem ubertatem frumenti affert, quam si in augmento lunae abscisum fuisset. Sed et unumquodque semen, quod in crescente luna in terram proicitur, citius quidem surgit et crescit et plus graminis habet, quod cum crescente luna erigitur, quam si in decrescente luna semi-

naretur, quoniam si tunc seminaretur, paulatim erumperet, usque dum bene confortatum exsurgeret.

Item de Adae sopore. Sed antequam Adam praeceptum dei praevaricatus fuisset, immissus est ei sopor et cibus est ei ostensus; postquam autem praevaricatus est, caro eius tantam debilitatem et fragilitatem incurrit, in quanta instabilitate caro mortui est ad carnem viventis hominis. Sed sopore postea recreabatur, sicut cibo refocillabatur. Et sic etiam in omnibus hominibus fit. Nam ut caro hominis cibo crescit, ita et medulla eius sopore.

De somno. Cum enim homo dormit, tunc medulla eius recreatur et crescit, et cum vigilat, tunc medulla eius aliquantulum attenuatur et debilitatur, quemadmodum luna in augmento suo crescit et in detrimento suo decrescit et sicut radices herbarum in hieme viriditatem in se habent, quam in aestate in flores emittunt. Unde cum medulla hominis aut laboribus fatigata est aut vigiliis attenuata, tunc homo sopore deprimitur et sive stet sive sedeat sive iaceat facile obdormit, quia anima eius in ipso necessitatem corporis sui sentit. Nam medulla vigiliis attenuata et debilitata mox vires animae suavissimum et dulcissimum ventum ex medulla producunt, qui venas colli et totam cervicem hominis perflat, et qui ad tempora transit et venas capitis occupat, et qui ita vitalem flantem flatum hominis deprimit, sic quod homo ille tunc est et iacet velut insensibilis et nescius et impotens sui corporis nec intellectum nec cogitationes nec sensibilitatem tunc scienter habens excepto quod anima vitalem flatum inducit et emittit, sicut et vigilanti homini facit, et quod eum tam dormientem quam vigilantem continet, et quod in eo est dum dormit, sicut et in eo <est> dum vigilat. Et sic homo obdormit, ut praedictum est. Tunc anima hominis illius viribus suis ad se collectis medullam eius crescere facit et confortat ac per eam ossa firmat et sanguinem coagulat, carnem etiam coquit et singula membra componit et sapientiam et scientiam in eodem homine dilatat laetante vita eius. Sic ergo homine dormiente maiorem calorem

interius habet quam si vigilat, quia, cum homo vigilat, medulla eius tenis efficitur et lubrica ac turbida, et ob hoc ille dormitat; cum autem dormit, medulla eius ardet, quoniam tunc crescit et pinguis et candida efficitur.

De pollutione nocturna. Unde etiam ipsa tunc multotiens in eodem ardore sanguinem ex superfluitate sua ad delectationem movet et spumam pollutionis nesciente homine ad genitalia mittens producit. Tunc etiam interdum ex superhabundantia ciborum et potuum medulla exardescit, quoniam immoderati cibi et potus ignem medullae aliquantum subministrant et succus eorum medullam et sanguinem aliquantum in motionem ducunt. Et ita medulla inardescens delectationem gustus carnis in sanguine concutit et spumam pollutionis ignorante homine in genitalia educit, quod tamen a calore aestatis vel a calore indumentorum hominis non evenit vel raro contingit. Sed quia tunc corpus quiescit nec quicquam operatur, tunc anima, quae vigilante corpore in multis causis cum eo occupata fuit, scientiam suam, cum qua in corpore operatur, velut oculos suos in somniis educit et circumspicit, quoniam tunc diverso opere corporis non impeditur.

Item de Adam et eius prophetia. Nam cum deus soporem in Adam misit, anima eius in vera prophetia interim multa vidit, quia nondum aliquod peccatum habebat. Ita et dormiente homine anima eius in vera prophetia multa videret, si idem homo peccatis gravatus non esset.

De somniis. Sed tamen, quoniam anima hominis a deo est, aliquando vera et futura corpore dormiente videt et scit ea, quae futura sunt homini, quae ita interdum contingunt. Saepe etiam evenit, quod aut diabolica illusione fatigata aut turbata mente gravata perfecte non potest ea videre et decipitur. Nam multotiens cogitationibus et opinionibus atque voluntatibus, quibus homo vigilans occupatur, his etiam et in somnis gravatur, et in eis interdum ita elevatur ut fermentum, quod massam farinae elevat, sive cogitationes illae bonae sive malae sint. Quod si

bonae et sanctae sunt, gratia dei illi saepe vera in eis ostendit; si autem vanae sunt, diabolus hoc videns animam hominis illius multotiens tunc terret et mendacia sua cogitationibus illis intermiscet. Sed et de sanctis hominibus turpia saepe in irrisione sua demonstrat. Cum enim homo aut inepta laetitia aut tristitia aut ira aut angustiis aut ambitione dominandi aut aliis huiusmodi causis in animo occupatus obdormit, hoc ei diabolus illusione sua multotiens in somnis proponit, quoniam cum vigilaret, ea in ipso vidit. Sed et cum in delectatione carnis interdum obdormit, hanc ei etiam et diabolica illusio interdum obicit, ita quod viventium corpora ei ostendit et etiam aliquando corpora mortuorum, cum quibus aliquando familiaritatem habuit vel quos etiam numquam corporalibus oculis vidit, ita quod sibi videtur, quod cum eis hoc modo in peccatis et in pollutionibus delectatur, quasi vigilet vel quasi illi etiam, qui defuncti sunt, vivunt; ita quod etiam turpia in semine suo sibi accidunt. Et quoniam diabolus cum vigilante homine cum suggestionibus suis bachatur, ideo etiam eum et in somnis fatigat. Sed quod anima corpori infixa est, ei tam dormienti quam vigilanti quamvis invita multotiens consentit et diversos motus in eo movet; quia sicut aer in aqua rotam molendini circumfert et illud molere facit, sic etiam corpus et dormientis et vigilantis hominis ad diversa opera movet.

De animae effectu. Nam sicut sol lux diei est, sic et anima lux vigilantis corporis est, et ut luna lux noctis est, ita etiam et anima lux dormientis corporis est. Cum enim corpus dormientis hominis in recta temperie est, ita quod medulla eius recta mensura et modo ipsum calefacit, et quod etiam tempestatem vitiorum et contrarietatem morum in se non habet, tunc saepissime vera videt, quia scientia animae eius tunc in quiete est, velut luna splendorem suum clare et pleniter emittit, cum in nocte absque turbine nubium et ventorum est. Si autem tempestas variarum et contrariarum cogitationum mentem et corpus

vigilantis occupat, ita quod ille in tempestate hac obdormit, tunc saepissime falsa sunt, quae dormiens videt, quoniam scientia animae eius in his contrarietatibus hoc modo obnubilata est, quod vera videre non potest; velut luna in tempestatibus nubium clare non valet apparere. Et quoniam anima ignis est, halitum dormientis hominis moderate inducit et educit, ne corpus illud vastetur; velut figulus vas suum ad ignem coquens cavet, ne ignis supra modum calidus aut frigidus sit, quia si immoderate calidus esset, vas fragile factum ex toto dilaberetur.

De halitu. Quod si homo halitum ingredientem et egredientem se non haberet, tunc etiam corporali motione careret nec sanguis eius liquidus esset nec flueret, sicut etiam nec aqua fluit sine ductu aeris.

De animae et carnis contrarietate. Sed et anima est spiraculum ad bona tendens, caro autem ad peccata, et raro et vix corpus interdum continere potest, quin peccet, sicut et sol vermiculis resistere non valet, quin de terra in illo loco exeant, quem ipse in splendore et calore suo calefacit. Sed et anima est insufflatio corporis ut follis ignis, quia, ubi ligna et prunae ponuntur, ibi follis ignem accendit; ita etiam et anima cum corpore et ossibus et nervis et carne compaginata ad quaeque opera se inclinat; nec haec dimittere potest, quamdiu in corpore est, quia medulla ossibus et carni atque omnibus membris ita infixa est ut homo, qui trunco ligni sic infigitur, quod se ab illo eruere non valet. Attamen ut aqua ignem interdum extinguit, ne supra modum ardeat, sic et anima per gratiam dei adiuta et per rationalitatem admonita vitia peccatorum aliquando deprimit, ne supra modum exsurgant et excrescant. Sed postquam medulla dormientis crescendo recreata fuerit, et postquam anima totam compaginem dormientis corporis composuerit, ipsa suavem ventum, quem de medulla ad quietem hominis emisit, ad se recolligit, et sic homo evigilat. Cum autem interdum saepe vigilat, et cum iterum totiens repente obdormit, tunc medulla nondum plenitudinem et fortitudinem suam recepit, nec etiam

membra ad recreationem suam composita sunt. Sed homine saepe evigilante et saepe deinde citius obdormiente medulla et membra eius tanto suavius et lenius refocillantur, velut infans, cum saepe sugit et saepe sugere desistit, interim vires suas ad refocillationem suam recolligit.

De animae excitatione. Multotiens etiam evenit, quod homo dormiens in latere seu in aliqua alia parte corporis sui graviter et dure iaceat seu ut tactu alicuius rei tangatur aut ut infirmitate corporis sui gravetur. Et quia homo sensibilis est, anima gravedines et contrarietates istas sentiens et corpus suum ex hoc debilitari videns vires suas recolligit et ventum, quam a medulla emisit, retrahit et hominem sic a sopore suscitat. Sed et cum aliquando strepitus aut sonitus aut vox in clamore circa corpus dormientis fit, ita quod aer ob hoc reboat, aer ille exterior aerem, qui in homine est, reverberat, quoniam et elementa in homine sunt. Et anima in homine aerem motum sentiens illum retractis viribus suis ad vigilandum movet. Saepe vero evenit, quod aliquis homo vel repentino strepitu vel tactu vel alio quolibet modo repente et difficulter evigilet. Unde venae et sanguis eius in contrarium modum excitantur, ita quod multotiens ob hoc in corpore dolet aut quod acutam febrem aut tertianam febrem incurrit, quia anima eius in ipso repentina festinatione mota est. Sed cum tandem recta moderatione homo evigilat, acutior in ingenio et hilarior in vultu multotiens apparet, quod tunc omnia membra eius compaginata sunt in requie.

De somni nimietate. Si quis autem multum et supra modum dormit, diversas et malas febres inde facile habebit atque caliginem oculorum inde incurrit, quia oculi eius in dormitione supra modum diu clausi sunt, velut si aliquis splendorem solis diu inspiceret et inde caliginem oculorum sibi induceret. Si quis autem moderate dormit, sanitatem inde habebit. Qui vero multum et supra modum vigilat, debilit*atem corporis* incurrit et aliquantum vires

inde perdit et in sensu aliquantum evacuatur, atque caro, quae circa oculos eius est, inde dolet et rubet ac evolvitur. Sed tamen aciem et pupillam et visum oculorum non multum laedit; qui autem moderate vigilat, sanitatem corporis retinebit. Saepe autem evenit, quod homo vigil est et dormire non potest, cum animus eius diversis cogitationibus et qualitatibus atque contrarietatibus occupatus est aut magna laetitia detentus. Nam cum in tristitia seu in timore seu in angustiis seu in ira seu in aliis his diversitatibus et cogitationibus est, tunc multotiens sanguis, qui in eo est, in inquietudinem vertitur; et venae, quae suavem ventum soporis suscipere debebant, aliquantum contrahuntur, ita quod eum excipere non possunt. Et cum etiam interdum aliquid viderit vel audierit vel aliud ei quicquam acciderit, unde ultra modum laetari poterit, tunc venae eius ad laetitiam referuntur nec suavem ventum soporis retinere valent, ita quod ille rectam temperiem in se non habet, et inde pervigil manet, usque dum re illa in mente sua contentus resipiscat, ac si venae ad rectum modum redeunt, et homo ille dormitat. Sed et cum homo gravi infirmitate aliquando opprimitur, tunc etiam sanguis et humores, qui in ipso sunt, in quandam contrarietatem vertuntur et velut quasdam procellas et tempestates in eo faciunt, et ita propter diversitates istas quiescere non valet, sed insomnis et pervigil contra sospitatem et voluntatem suam semper permanet. Homo quoque cum dormit, in alio visu est quam cum vigilat, et ideo cum post dormitionem evigilat, quia tunc in sopore fuit, visu suo claritatem cito capere non potest, et cum in tenebris est, eundem visum, quem in tenebris habuit, ad claritatem cito convertere non valet. Simili modo, qui in claritate est, visum suum ad alium modum in tenebris repente retorquere ⟨non⟩ potest, nisi post aliquam moram, velut cum homo verba exterius sonat, cogitatio interius latet.

De exercitio. Masculus autem, qui in corpore sanus *est, si diu* ambulat aut si diu erectus stat, inde non

multum laeditur, quia in commotione corporis est, ita tamen, ne supra modum vadat aut stet. Qui vero debilis est, sedeat, quia, si iste multum iret aut staret, inde laederetur. Mulier autem, quia fragilior viro est, et quia diversam calvariam habet, moderate ambulet et stet, sed magis sedeat, quam discurrat, ne inde laedatur. Qui vero in equo vadit, inde non multum laeditur, quamvis inde fatigetur, quoniam in aere et in aura versatur, sed pedibus et cruribus suis interdum subveniat, ita quod eos in motione et extensione interdum exerceat.

De sanguinea. Quaedam autem feminae pinguis naturae sunt et molles et deliciosas carnes habent et graciles venas atque rectum sanguinem absque tabe. Et quoniam venae earum graciles sunt, ideo minus sanguinis in se habent, atque caro earum tanto plus crescit et tanto plus sanguine permixta est. Et istae claram et albam faciem habent et in amplexione amoris sunt et amabiles atque in artibus subtiles et per se ipsas in animo suo continentes et modice effluentem sanguinem in rivulis menstrui temporis patiuntur, atque vasculum matricis earum fortiter positum est ad pariendum, unde etiam fecundae sunt et virile semen concipere possunt. Sed tamen plurimos pueros non generantur, et si istae absque maritis sunt, ita quod prolem non pariunt, facile dolent in corpore; si autem maritos habent, sanae sunt. Quod si guttae sanguinis in menstruo tempore ante naturale tempus in istis clauduntur, ita quod non effluunt, tunc interdum aut melancolicae erunt aut dolorem lateris patientur, aut vermis in carne earum crescet, aut effluentes glandes, quae scrofulae dicuntur, in eis erumpent, aut lepra, quae tamen moderata est, in eis crescet.

De flegmaticis. Sed quaedam aliae feminae sunt, quarum carnes non multum crescunt, quia grossas venas habent et aliquantum sanum sanguinem et album sed modicum veneni in se continentem, unde album colorem contrahit. Et severam faciem et subnigri coloris habent et strenuae et utiles sunt ac aliquantum virilem animum

tenent, atque nec nimis parum nec nimis multum sed moderate effluentes rivulos sanguinis in menstruo tempore sustinent. Et quoniam grossas venas habent, plurimum fecundae sunt in prole et facile concipiunt, quod etiam matrix et omnia viscera earum fortiter posita sunt. Sed viros sibi attrahunt et eos post se ducunt, et ideo viri eas amant. Quod si a viris se continere volunt, se continere a coniunctione eorum possunt, nec inde multum quamvis parum debilitantur. Sed tamen, si viros in coniunctione devitaverint, difficiles et graves in moribus suis erunt, si autem cum viris fuerint, ita quod se a coniunctione eorum continere noluerint, incontinentes et superfluae secundum viros in libidine erunt. Et quod etiam aliquantum viriles sunt propter viriditatem, quam in se habent, aliquantum lanuginis circa mentum interdum emittunt. Si autem rivulus sanguinis in menstruo tempore ante naturale tempus in eis strangulatur, tunc interdum aut insaniam capitis, quae est frenesis, incurrunt, aut spleneticae aut hydropicae erunt, aut exstantes carnes, quae semper in ulceribus sunt, in eis crescunt, aut in aliquo membro suo supercrescentem carnem, velut quaedam pustula in aliqua arbore vel in aliquo pomo est, emittent.

De colerica. Aliae autem quaedam feminae sunt, quae tenues carnes sed grossa ossa habent et moderatas venas et spissum ac rubeum sanguinem, et pallidi coloris in facie sunt et prudentes sunt ac benevolentiam tenent, et eis reverentia ab hominibus exhibetur, et timentur. Sed plurimum sanguinem in menstruis patiuntur, et matrix in eis fortiter posita est, ac fecundae sunt. Et viri mores earum amant, sed tamen eas aliquantum devitando fugiunt, quoniam ipsae illos alliciendo illos post se non trahunt. Quod si in coniunctione maritorum sunt, castae sunt et fidem uxorum illis servant atque cum eis sanae sunt in corpore, et si maritis caruerint, dolebunt in corpore, et debiles erunt tam de hoc, quod nesciunt, cui homini femi-*neam fidem servare* possint, quam de hoc, quod maritos

non habent. Et si fluenta menstrui temporis prius, quam iustum sit, in eis cessaverint, facile paralyticae erunt et in humoribus suis diffluunt, ita quod in eisdem humoribus suis infirmae erunt aut quod in iecore dolebunt aut quod etiam facile nigrum tumorem dragunculi incurrunt aut quod ubera earum de cancro ingrossantur.

De melancolica. Sed aliae quaedem feminae sunt, quae macres carnes habent et grossas venas ac moderata ossa et sanguinem magis livosum quam sanguineum, et quae etiam faciem velut glauco et nigro colore permixtam habent. Et istae etiam ventosae et vagae in cogitationibus suis sunt et taediosae in molestia tabescentes, et sunt etiam diffluentis naturae, ita quod etiam interdum melancolia fatigantur. Sed et plurimum sanguinem in menstruo tempore patiuntur et steriles sunt, quia debilem et fragilem matricem habent. Unde semen viri nec concipere nec retinere nec calefacere possunt, et ideo etiam saniores, fortiores et laetiores sunt absque maritis quam cum eis, quoniam, si cum maritis fuerint, debiles reddentur. Sed viri ab eis declinant et eas fugiunt, quia ipsae viros affabiliter non alloquuntur, et quoniam viros modice diligunt. Et si istae ad horam aliquam delectationem carnis habuerint, cito tamen in eis deficit. Sed quaedam ex his, si cum robustis et sanguineis maritis fuerint, tunc interdum, cum ad fortem aetatem velut quinquaginta annorum pervenerint, saltem infantem unum pariunt. Si autem cum aliis maritis fuerint, quorum natura debilis est, tunc ab illis non concipiunt, sed steriles permanebunt. Quod si menstrua in eis defecerint, antequam iustum secundum naturam feminarum fuerit, tunc aliquando podagram aut intumentia crura habebunt aut insaniam capitis, quam melancolia excitat, incurrent, aut dolorem dorsi et renum aut cito corpore intumescent, quoniam tabes et foeditas illa, quae per menstrua in corporibus earum purgari debuit, in eis obstrusae remanent; et si istis in infirmitate non succurritur, ita quod ab ea per adiutorium dei seu per medicinam liberatae non fuerint, cito morientur.

De calvitie. Homo, cuius calvitium grande et latum est, fortem calorem in se habet. Et calor iste et sudor capitis eius crines eiciunt, sed humor halitus ipsius fertilis est et carnes, ubi barba crescit, humectat, ita quod ibi plurimi crines exsurgunt. Sed homo, qui penuriam crinium in barba habet, sed habundantiam in vertice, iste frigidus et aliquantum infertilis est, et cum ⟨halitus⟩ carnes circa os hominis eiusdem tangit, easdem carnes infecundas facit. Sed postquam alicui homini crines in calvitio ceciderint, amplius nullo medicamine restaurari poterunt, quoniam humectatio et viriditas, quam in cute capitis, id est in *hirneschedele* suo, prius habebat, iam exaruit, nec amodo ulla viriditas ibi exsurgere poterit, unde etiam capilli amodo ibi non renascentur. Et ideo saepissime evenit, ut quorum calvitium grande et latum est, horum barba etiam grandis et lata fit, et qui tenuitatem et penuriam in barba habent, hi tanto plus in vertice crinibus habundant.

De capitis dolore. Acuta febris et cotidiana et tertiana atque quartana, sed et aliae febres, melancoliam interdum tangunt, et illa sic tacta aquosum fumum ad caput et ad cerebrum hominis mittit atque illud gravi et continuo dolore infirmari facit.

De emigranea. Sed et emigranea de melancolia et de omnibus malis humoribus, qui in homine sunt, nascitur, et medietatem capitis hominis occupat et non totum, ita quod nunc in dextra parte capitis nunc in sinistra est; videlicet cum humores superhabundant, dextram partem occupat, cum vero melancolia supercreverit, sinistram. Nam emigranea tantam fortitudinem in se habet, ⟨quod⟩ si totum caput hominis simul occuparet, homo pati non posset. Et haec difficile expelli poterit, quia, quod melancoliam interdum compescit, malos humores interdum excitat, et quod malos humores interdum sedat, melancoliam interdum crescere facit, et ideo difficile curationem recipit, quoniam melancolia et mali humores difficile simul sedantur.

Item de capitis dolore. Cibus vero, qui madidum *succum in se habet,* velut succus herbarum hortorum et

velut succus pomorum est, sine arido cibo panis saepius comestus dolorem capitis homini interdum infert, qui tamen cito sedatur, quoniam de leni succo oritur. Sed et flegma in homine multotiens superhabundat et ita exsurgit et ad caput illius tendit et venas temporum, quae frontem confortant, concutit et sic frontem dolere facit.

De vertigine. Cum etiam homo absque magistratione doctrinae superiorum et sine ulla necessitate per voluntatem suam plurimis et diversis cogitationibus frequenter occupatur, iste humoribus rectum iter aufert, ita quod ille interdum praeceps, interdum tardus absque recto ordine suo ⟨est⟩, et ideo caput eiusdem hominis in vertiginem vertitur, ita quod scientia et sensus illius evacuantur.

De amentia. Et cum praedictae pestes simul omnes convenerint, ita quod in capite hominis simul furiunt, hominem illum in amentiam ducunt et evertunt et inanem rectae scientiae faciunt, velut cum navis a procellis mota confringitur. Unde multi putant ipsum a daemone possessum esse; quod non est; sed daemones huic pesti et dolori accurrunt et insidias ponunt, secundum quod officia insaniae eorum sunt; et tamen proprietatem verborum suorum ibi non habent, quoniam homo ille a daemone possessus non est. Nam si daemon proprietatem verborum suorum divina permissione in aliquo homine habuerit, spolia sua verbis et furiis ibi in loco spiritus sancti tam diu exercet, quousque deus illum expellit, quemadmodum de caelo eum expulit.

De cerebro. Cerebrum a bonis et a malis humoribus, qui in homine sunt, tangitur; ac ideo semper molle et humidum est. Quod si forte aliquando exsiccatur, mox in infirmitatem ducitur. Ipsum enim valde humidum et pingue naturaliter est ac etiam est materia scientiae, sapientiae et intellectus hominis, ut haec emittendo et retrahendo contineat; sed et vires cogitationum retinet. Cogitationes autem cum in corde sedent, aut suavitatem aut amaritudinem habent; suavitas vero cerebrum impinguat et amaritudo eum evacuat. Et cerebrum itinera habet ut• *fumarium foramina*, ubi fumus educitur, et

itinera illa sunt in oculis, in auribus, in ore, in naribus, ac ibi demonstrantur. Cum autem suavitas in cogitatione est, tunc oculi et aures atque loquela hominis in laetitia se ostendunt. Cum vero amaritudo in illa est, oculi lacrimas et in ira ac in tristitia auditum et loquela demonstrant. Oculi autem hominis ad similitudinem firmamenti facti sunt.

De oculis. Nam pupilla oculi similitudinem solis habet, et niger seu griseus color, qui circa pupillam est, similitudinem lunae, et exterior albedo similitudinem nubium. Oculus autem ex igne et aqua constat. Igne enim continetur et roboratur, ut sit; aqua vero ad visum ducitur. Quod si sanguis super oculum hominis superhabundaverit, oculum suffocat ad videndum, quia aquam, quae oculo visum praebet, exsiccat, vel si sanguis ibi supra modum minoratus fuerit, aqua, quae in oculo visum subministrare debuit, iam vires suas non habet, quoniam qui in sanguine ipsi vires velut columna subportare debebat, deficit. Unde in senibus oculi caligant, quia iam in ipsis subtrahitur et aqua cum sanguine in eis attenuatur. Sed iuvenes senibus clarius vident, quoniam venae eorum adhuc in sanguine et aqua recte temperatae sunt, quia ignis et aqua nondum in ipsis calorem et frigus supra modum suum exsiccaverunt et attenuaverunt.

De oculis griseis. Homo autem, qui griseos oculos aquae similes habet, eos praecipue de aere contrahit; unde et infirmiores aliis oculis ⟨sunt⟩, quia aer de diversa aura caloris et frigoris ac humiditatis saepius mutatur, et etiam idem oculi facile de malo et debili et humido aere et de nebula laeduntur, quoniam, sicut haec puritatem ipsius aeris impediunt, ita etiam oculos de aere contractos laedunt.

De oculis igneis. Sed qui igneos oculos habet, qui similes sunt nigrae nubi iuxta solem sitae, eos de calido vento austri naturaliter accepit, et sanitatem habent, quia de calore ignis sunt. Sed pulvis ac quilibet malus foetor eos laedit, quoniam serenitas pulverem et puritas incog*nitum foetorem* negligit.

De oculis diversi coloris. Qui autem oculos similes nubi habet, in qua iris apparet, eos de aere diversarum aurarum contraxit, quae nec ariditatem nec humiditatem in stabilitate possident, et infirmi sunt, quoniam de instabili aere oriuntur, et in calida aura obscurum visum habent, quia de igne non sunt, in pura vero pluviali aura acutum visum habent, quoniam magis de humiditate quam de igne sunt. Sed omnis fulgor, scilicet solis et lunae ac luminum atque pretiosorum lapidum et metallorum atque omnium aliarum rerum eis nocivum est, quia de aere diversarum aurarum est.

De oculis turbulentis. Sed qui oculos habet similes turbidae nubi, quae nec ad plenum ignea nec ad plenum turbida est, sed aliquantum glauca, eos de livida humiditate terrae accepit, quae diversas inutilitates herbarum ac vermiculorum terrae producit, et molles sunt ac carnes rubeas eiciunt, quia de livore orti sunt. Sed nec humido aere nec pulvere nec malo foetore nec fulgore cuiusque rei laeduntur, de quibus acies aliorum oculorum sauciatur, ut praedictum est, quamvis aliis quibusdam infirmitatibus interdum laedantur. Nam sicut nulla adversitas obstat, quin de livida humiditate terrae inutiles herbae et vermiculi procedant, ita et visus oculorum istorum praefatis adversitatibus non laeditur.

De oculis nigris. Qui vero nigros seu turbilentos oculos habet, ut aliquando nubes est, eos praecipue de terra contraxit; et firmiores et acutiores aliis oculis sunt et acumen oculorum diu retinent, quoniam de fortitudine terrae sunt. Sed facile de humore terrae et de humiditate aquarum et paludum laeduntur, quemadmodum et terra de malo humore et de magna humiditate aquarum et paludum inficitur.

De oculorum albugine. Sed cum cerebrum hominis aliquo modo supra modum impinguatur, pinguedo illa malum humorem et sudorem ad oculos mittit. Qui humor et sudor cum oculos saepius madefacit et inficit, albuginem de spissitudine humoris et sudoris illius contrahunt, et nisi cito depellatur, cum adhuc recens est, ita exspissatur,

quod postea prae spissitudine ut fellis auferri non poterit, et ita albugo in oculo hominis nascitur. Sed et ex frigiditate humorum et ex melancolia eadem albugo oritur.

De oculorum lacrimis. Cum autem a noxiis humoribus in oculis alicuius hominis aqua superhabundaverit, eadem aqua ignem, qui in oculis illis est, suffocat et absorbet, et sic idem oculi humescunt, quasi lacrimentur, et caligare incipiunt.

Ad auditum. Cumque stomachus hominis infirmatur, ex ipso interdum flegma in caput eius extenditur et ad aures cadit atque auditum hominis confundit. Sed flegma aliquando minoratur, aliquando augetur, et facile curari et depelli potest. Mali quoque humores in homine aliquem fumum faciunt et eundem fumum ad caput et ad cerebrum emittunt, et fumus idem ad aures tenditur et auditum obdurat ac diu ibi manet et difficile curatur.

De dentium dolore. Et quaedam minutissimae venulae cuteculam, scilicet membranam, in qua cerebrum positum est, circumdant et se ad ginguivas dentium et ad ipsos dentes extendunt. Quae dum malo et superfluo atque putrido sanguine replentur, et dum a spuma in purgatione cerebri vitiantur, putredinem et dolorem ex ⟨cerebro⟩ ad ginguivas dentium et ad ipsos dentes portant. Et ideo eadem caro, quae circa dentes est, sic intumescit et maxillae hominis illius, et ita homo idem in ginguivis dentium dolet. Si autem homo dentes suos cum aqua lavando interdum saepe non purgat, exinde livor in carne, qui circa dentes est, interdum crescit et augetur et ex hoc eadem caro infirmatur, ac ita de livore illo, qui circa dentes inveteratus est, vermes in dentibus aliquando nascuntur, et sic caro circa dentes intumescit, et homo inde dolet.

De faciei rubore. Sed homo, qui in infirmitate, dum in lecto decumbit, in facie rubet, sanguinem ab infirmis visceribus infirmum et venenosum habet, et ideo in facie rubet. Nam malus humor de venis eius egreditur, qui carnes ipsius intrat et pertransit, ita quod exinde in debilitate extolluntur et ingrossescunt, velut minutissimis foraminibus

perfossae sint. Et homo iste tristis non est, sed aliquantum laetus, et in infirmitate sua sufferri potest.

De faciei pallore. Qui autem in infirmitate sua pallet et macer est, in illo melancolia ad paralysim coniungitur, ita quod ex hoc frigidus erit, et ideo etiam propter frigus illud in facie pallet et profectum in carnibus suis non habet, ut in illo crescant, et iste in infirmitate sua tristis est et facile in iram movetur. Sed et stomachus dat visceribus hominis humiditatem et vesica tribuit eis aquositatem; unde etiam ipsa viscera cibos semper hoc et illac fundunt et refundunt et ita impinguescunt ac diversos livores habent.

De splenis tumore. Sed cum stomachus diversis et noxiis escis irretitur, et cum vesica diversis et noxiis potibus sauciatur, malos humores visceribus afferunt, ac sic malum fumum ad splen emittunt.

De cordis dolore. Et illud ex hoc inflatur et intumescit et sauciatur, atque tumore et dolore suo dolorem cordi infert et circa illud livorem parat. Sed et adhuc idem cor forte est et dolori huic resistit. Cum autem praedicti humores in visceribus et in splene hominis superhabundaverint et cordi multas passiones intulerint, ad melancoliam revertuntur et illi se commiscent. Et sic melancolia commota cum illis in indignatione surgit et cum nigro et malo fumo ad cor ascendit atque multis et repentinis fatigationibus illud fatigat. Unde homines illi tristes et acerbi effecti modicum cibi et modicum potus sumunt, ita quod in corpore attenuantur et quod vix aliquando in corpore subsistunt. Et hi etiam multas eructuationes emittunt.

De animae domo. Sed cum quilibet homo domum parat, in illa ianuam et fenestras ac fumarium facit, ita videlicet ut per ianuam egrediatur et ingrediatur, ut quaeque necessaria excipiat, et ut per fenestras lumen habeat, et ut etiam igne accenso fumus per fumarium transeat, ne domus per fumum corrumpatur. Sic et anima in corde velut in domo sedens cogitationes velut per ianuam eius emittit

et immittit et eas quasi per fenestras considerat ac vires earum velut accenso igne ad cerebrum velut ad fumarium transducit, ut eas ibi discernendo discutiat. Si enim homo cogitationes non haberet, scientiam non haberet, sed esset ut domus, quae nec ianuam nec fenestras nec fumarium habet. Cogitationes autem scientiae boni et mali auctores sunt et ordinatio omnium rerum, et haec cogitationes dicuntur. Nam cogitationes auctores sunt bonitatis, sapientiae et vanitatis ac similium, ut de corde malae cogitationes exeunt, et hoc est ianua. Et ideo de corde iter procedit ad elementa, cum quibus homo operatur, quod cogitat. Et vires cogitationum ad cerebrum ascendunt, et cerebrum eas continet, quod cerebrum est humiditas totius corporis, quemadmodum ros omnia humectat. Cum autem quidam mali et foetidi humores in homine suscitantur, quendam noxium fumum ad cerebrum emittunt.

De pulmonis dolore. Unde cerebrum commotum eundem fumum per quasdam venas ad pulmonem ducit et ipsum inficit, ita quod aliquantum inflatur et quod halitum aliquantulum difficile emittit et quod ei malum odorem reddit. Sed haec inflatio pulmonis non multum periculosa est, quia facile curari potest.

De asmate. Sed alii quidam homines sunt, quorum caput sanum et tam forte ⟨est⟩, quod praedicti mali humores cerebrum eorum laedere non valent, quoniam ad illud pertingere non possunt. Et quia ipsi humores surgere non possunt, ad cerebrum in canali gutturis eorundem hominum remanent et illud ad debilitatem ducunt, ita quod homines illi cum difficultate ⟨halitum⟩ emittunt. Nam cum humores isti in gutture hominis huius iacent, pulmonem eius sorde et tabe et putredine inficiunt et vulnerant, velut oculi alicuius hominis aliquando per dolorem exeuntis tabis et ulcerum laeduntur. Unde et pulmo ad guttur se erigit et aditum halitus occupat, ita quod homo ille vix halitum emittit.

De tussi. Et quia putredo circa pulmonem iacet, homo ille multum et putridum flegma eicit; alioquin

cito deficeret, quoniam infirmitas haec aliquando periculosa est.

De halitus foetore in aura nebulosa. Alii autem homines sunt, qui in nebulosa et humida temperie aeris concipiuntur, unde etiam foetentem et male odorantem halitum et male odorantem sudorem semper habent. Et foetidus halitus eorum atque mali humores, qui in ipsis sunt, usque ad cerebrum eorum pertingunt et illud ita in infirmitate fatigant, quod multotiens velut in oblivionem sui ducuntur. Qui si flegma de capite eiciunt, minus dolent, quia cerebrum eorum purgatur; si vero flegma non eiciunt, gravius in capite torquentur, quoniam cerebrum eorum a noxiis humoribus non revelatur. Et foetens halitus istorum ad pulmonem transit et eum fatigat, ita quod etiam aliquando raucam vocem habent. Sed tamen dolor iste non multum periculosum est, quia cito curari poterit.

De conceptu in plenilunio. Quidam autem homines, qui in plena luna et temperata aura concipiuntur, quae nec nimis calida nec nimis frigida est, sani sunt et avari in comestione ciborum, ita quod diversos cibos indifferenter sumunt. Et quamvis diversos cibos indifferenter comedant et comedere possint, a quibusdam tamen noxiis cibis se abstinere deberent, velut venator, qui inutiles feras abire permittit, utiles autem capit.

De epatis indigestione. Si quis istorum diversos cibos immoderate et indiscrete sumpserit, tunc de diversis humoribus istorum ciborum iecur eius laeditur et indurescit, ita quod salubrem succum, quem velut unguentum in quaeque membra et in compagines membrorum et in *waldarun* mittere deberent, de diversis et noxiis humoribus sauciatum haberet, ita quod etiam aliquando caro eius in aliquo loco membrorum in tumorem vertitur, et quod eadem caro scinditur, et quod etiam aliquod membrum eius ita laeditur, quod in eo claudicat.

De nervorum indignatione. Sed tamen isti in infirmitate hac diu vivere possunt.

De conceptu et epatis indignatione. Sunt etiam alii

homines, qui in decrescente luna et in turbine diversae aurae concipiuntur. Et ex his quidam semper tristes sunt et diversos mores habent. Propter tristitiam autem, quam habent, iecur eorum infirmatur et multis et minutissimis foraminibus perforatur, velut caseus, qui parvissima et multa foramina habet. Et ideo nec edaces nec avari ad comedendum et ad bibendum sunt, sed modicum manducant et bibunt. Et quoniam modicum manducant et bibunt, iecur eorum marcidum erit velut *holmetde* et deficit.

De epatis vasculo. Sed iecur est in homine quasi vasculum, in quod cor et pulmo atque stomachus succos suos effundunt, quos illud iterum in omnia membra refundit, velut vas aliquod iuxta fontem positum, quod aquam de fonte acceptam iterum in alia loca diffundit. Sed cum iecur perforatum est et marcidum, ut praedictum est, bonos succos a corde et a pulmone atque a stomacho recipere non potest, et ita succi et humores illi ad cor et ad pulmonem et ad stomachum revertentes velut quandam inundationem faciunt. Et si infirmitas haec in quolibet homine increverit, diu vivere non potest.

De conceptu, dum sol est in cancro. Sed alii homines sunt, qui concipiuntur, cum sol in cancro est et cum sol iam plenitudinem suam habens temperiem aeris in recta qualitate temperat, et hi sani sunt in iecore.

De cordis dolore. Et quoniam in iecore sani sunt, aliquando defectum in corde sentiunt, quia mali humores a iecore fugientes ad splen et ad cor tendunt et illa fatigant, quoniam iecur superare non valent. Cumque homo cruda poma vel cruda pira seu cruda olera seu alios crudos cibos sumpserit, qui nec per ignem nec per aliud quodcumque condimentum temperati sunt, in stomacho eius excoqui facile non possunt, quia prius temperati non sunt.

De splenis dolore. Et sic mali humores eorundem ciborum, qui per ignem seu per aliud aliquod condimentum, scilicet aut salis aut aceti, temperari et fugari debuerant et temperati et fugati non sunt, ad splen ascendunt et *illud in* tumorem et dolorem vertunt. Nam quia splen

madidum est et quia humoribus humectari debet, tam malos quam bonos humores recipit. Cum ergo praedicti mali humores insurrexerint, ad splen ⟨ascendunt et⟩ illud sauciunt et dolere faciunt.

De stomacho et eius indigestione. Stomachus quoque in corpore hominis ita positus est, quod omnes cibos suscipit et digerit; et tenax est et aliquantum interius rugosus, ut cibos ad digestionem retinere possit, ne citius in digestionem labantur, velut cementarius lapides ita incidit, ut cementum capiant et teneant, ne diffluat aut cadat. Sed cum quidam homines aliquando quosdam cibos supra modum sumpserint, scilicet crudos et incoctos et semicoctos ac superflue et immoderate pingues atque graves aut aridos et siccos, tunc interdum cor et iecur ac pulmo et alius calor, qui in homine est, tantum et tam fortem ignem stomacho administrare non possunt, ut cibi isti excoquantur; unde in stomacho coagulantur et indurescunt et mucidi fiunt, ita quod etiam stomachum interdum aliquantum aut viridem aut glaucum aut lividum aut multum livorem, id est *slim*, habentem reddunt, et quod etiam interdum velut putridum• sterquilinium malos humores et malos foetores per totum corpus emittunt, et quod etiam velut virida et madida ligna incensa malum fumum ubique in corpore effundunt. Quod enim quidam cibi in homine indurantur, hoc de diversis infirmitatibus est, quia si nimius et iniustus ardor in homine est, comestum cibum perurit, vel si nimium et iniustum frigus in eo est, comestus cibus in eo digeri non potest, sed prae frigore in eo coadunatur et coagulatur; et ita in homine manet et sic ille dolet.

De sifac extensione aut ruptura. Quidam autem homines sunt, qui molles carnes corporis habent sive macilenti sive pingues sint, et his interior cutecula, quae intestina comprehendit, pinguis et tenuis est, ita quod aut de quibusdam infirmitatibus aut laboribus aut de casu aut de extensione ventris, cum cibis repletur, facile rumpitur. Sed tamen eadem cutecula in mulieribus spissior et tena-

cior est propter partus earum quam in viris, et ideo saepius et citius in viris quam in mulieribus scinditur.

De renibus et quare duo sint. Renes vero firmamentum et retentaculum caloris corporis hominis sunt et femur hominis continent, quemadmodum armati milites, qui dominum suum defendunt. Et ideo duo sunt, ut tanto fortius et convenientius ignem in se retineant. Et hoc tam in femina quam in viro faciunt, quod lumbis virorum assunt et quia etiam matrici feminarum iunguntur. Sed et in pinguedinem involuti sunt, ne ulla frigiditate aut contrarietate laedantur, quin vires suas habeant. In ipsos autem renes fortissimae venae positae sunt, quae eos fortiter tenent, et per quas etiam totum corpus hominum sustentatur. Sed cum homo in eis dolet, hoc ex infirmitate stomachi fit.

De iliaca. Nam de dolore stomachi dolor lateris nascitur, et de dolore lateris nascitur dolor ilium. Cum enim stomachus de noxiis et malis cibis infirmatur, ita quod fortes et mali cibi in eo digeri non possunt, dolor ut quidam fumus et ut quaedam nebula ex eo in latus egreditur, velut acerbus fumus de virido ligno ascendit, et fumus ille stomachi ad ilia extenditur ut nigra nubes, et ilia fumum istum suscipiunt, ita quod fumus iste de assidua consuetudine ad ilia semper tendit, quemadmodum fumus lignorum ad fumarium properat. Et ita quaeque infirmitas et dolor stomachi ad consuetum locum illum iliorum propter malam et assiduam consuetudinem multotiens cadit et ibi hominem dolere facit.

De virilibus. Virtuti autem, quae in lumbis virorum est, scilicet vento, qui ex medulla procedit, duae sibi coniunctae vires velut duo tabernacula assunt ardorem, qui in viro est, attestantes, quae etiam ignem stirpis fortiter in se tenent. Et quadam cutecula involuti sunt, ne vis earum deficiat, quae eis in adiutorium est, ut stirpem elevare possint. Sed si quis masculus his duabus viribus forte naturaliter per defectum aut per abscisionem caret, *virilem* viriditatem non habet nec illum virilem ventum,

qui stirpem ad fortitudinem suam erigit. Ed ideo ad exarationem feminae velut terrae eadem stirps erigi non potest, quia vento virium suarum vacuata est, qui eam ad iter producendae prolis confortare debebat, quemadmodum etiam aratrum terram fodere non valet, quod ferro exarationis caret.

De hoscei inflatione. Virilis enim fortitudo in virilibus magna est, sed interdum aut de malis humoribus aut interdum de noxio sudore aut interdum de superfluitate delectationis in virilibus quaedam indigna humiditas aut ulcus aut inflatio insurgit, ita quod eadem virilia inflantur et malis ulceribus laeduntur.

De dissuria. Homo autem, qui urinam retinere non potest, illi stomachus frigidus est et vesica, et ideo potus in eis ad perfectam coqui non poterit; et antequam in eis coquatur, ut tepida aqua effluit, velut si aqua ad ignem ponatur et cum illa incalescere inceperit, superius effluat, antequam ferveat; sicut etiam in infantibus est, qui urinam retinere non possunt, quoniam nec stomachus nec vesica eorum perfectum calorem habent sed frigiditatem.

De podagra. Ille vero, qui molles carnes et delicatas in corpore suo habet et qui diversos et delicatos cibos frequenter comedit, podagram facile incurrit. Nam si quis duos bonos et sanos cibos comedit et tertium malum et infirmum, illi duo boni et sani cibi hunc tertium malum et infirmum exsuperant, ut comedentem hominem minus laedat. Si autem quispiam homo duos malos et infirmos cibos comedit et eodem tempore tertium bonum et sanum cibum, illi duo mali et infirmi cibi hunc tertium bonum et sanum cibum opprimunt et eum ad sanitatem hominis raro exsurgere permittunt. Et saepe contingit hominibus, qui diversis cibis utuntur, quod inde facile infirmantur. Cum ergo illi, qui molles et delicatas carnes in corpore habent, diversis et delicatis cibis supra modum utuntur, mali humores superhabundanter in eis inundant et crescunt, ita quod contineri non possunt, quin hac et illac in hominibus illis inordinate fluant et sic tandem ad inferiora descendunt et in *cruribus* ac in pedibus eorum insanire

incipiunt. Cumque nullum exitum ibi habuerint, sursum ad superiora corporis, unde venerunt, ascendere non valent, sed ibi in inferioribus manent et in livorem vertuntur et obdurantur, et sic homo ille in cruribus et in pedibus suis podagram sentit et dolet, ita quod vix incedere valet. In mulieribus quoque, quae molles et delicatas carnes habent et quae etiam delicatis cibis supra modum utuntur, mali etiam humores, ut praedictum est, crescunt, sed tamen podagram non tam facile incurrunt, et humores isti ad purgationem menstruorum transeunt, et sic illae a podagra liberantur.

De fistula. Sed et fistula est quoddam genus podagrae. Nam fistula de malis et superfluis humoribus nascitur, quia, cum mali et superflui humores in homine superhabundant, ad aliquem locum corporis eius transeunt vel ad crura seu ad pedes illius descendunt, et ibi acumine superfluitatis suae cutem eius perforant et paulatim effluunt; et quia in homine illo semper augentur, ibi cutem semper effluendo sanari non permittunt.

Quare menstruum. Cum autem fluxus cupiditatis Evam intravit, omnes venae eius in fluvium sanguinis apertae sunt. Unde omnis femina procellas sanguinis in se habet, ita quod ad similitudinem continentiae et effusionis lunae guttas sanguinis sui tenet et effundit, et quod omnia membra eius, quae venis compaginata sunt, aperiuntur. Nam ⟨ut⟩ luna crescit et decrescit, ita sanguis et humores per menstruum tempus in muliere purgantur, alioquin durare non posset, quia humidior viro est, et magnam infirmitatem incideret. Pudicitia autem claustrum integritatis in virgine est, quia opus viri transilivit idem opus ignorans, et ideo menstrualis sanguis in virgine magis sanguineus est quam in femina, quoniam virgo adhuc est clausa. Nam postquam virgo corrumpitur, deinde magis livorem in menstruo sanguine habet, quia corrupta est, quam prius haberet, cum virgo esset. Et cum puella adhuc in integritate virgo est, tunc in ea sunt menstrua *quasi guttae* de venis; postquam autem corrumpitur, tunc

guttae effluunt ut rivulus, quia per opus viri solvuntur, et ideo ut rivulus sunt, quoniam venae in opere illo solutae sunt. Cum enim claustrum integritatis in virgine rumpitur, ruptio illa sanguinem emittit. Mulier enim sic instituta est, quod per sanguinem suum semen viri concipere et retinere debet, et ideo etiam debilis est et frigida et humores in ea infirmi. Unde etiam ipsa semper infirmaretur, nisi quod sanguis eius per menstrua purgatur, ut cibus in olla purgatur, cum spumam de se eicit.

De Evae corruptione. Omnes autem venae mulieris integrae et sanae permansissent, si Eva in pleno tempore paradisi perstitisset. Cum enim illa serpentem consentiendo ei inspexisset, visus eius, quo caelestia vidit, extinctus est, et cum eum in consensu audivit, auditus eius, quo caelestia audivit, obstrusus est, atque in gustu pomi splendor, qui in ea lucebat, obscuratus est. Ut autem succus a radice arboris incipit et ita sursum ad omnes ramusculos arboris tendit, sic est in muliere in menstruo tempore. Nam in tempore rivulorum sanguinis eius venae, quae cerebrum continent et quae visum et auditum retinent, ad effusionem sanguinis concutiuntur, et venae, quae collum et dorsum et renes tenent, venas quoque iecoris et viscerum ac umbilici ad se trahunt, atque unaquaeque vena se in aliam ita effundit, ut viror arboris ramos virescere facit, et venae, quae renes continent, rotam illam dissolvunt, in quam renes compaginati sunt, et eam contrahunt et retrahunt, ut ungues alicuius aviculae abscisi venis suis contrahuntur et remittuntur.

Quare menstruum. Sed quemadmodum validus ventus tempestatem in flumine movet, sic etiam in omnibus humoribus mulieris tempestas movetur, ita quod idem humores sanguinis intermiscentur et quod aliquantum sanguinei fiunt et quod hoc modo cum sanguine purgantur, et sic fit rivulus sanguinis in muliere. Et ideo tunc in illo tempore caput mulieris infirmatur et oculi eius languent et totum eius corpus debile est. Sed tamen oculi ex hoc non caligant, si recto tempore et recta moderatione idem

rivuli effluxerint. Ante ipsum autem initium huius effusionis membra, quae semen viri suscipere debent, aperiuntur, ita quod tunc facilius quam alio tempore concipiunt. Similiter vero, cum iam menstrua in fine sunt, ita quod iam deficiunt, mulieres facile concipiunt, quia membra earum adhuc tunc aperta sunt; sed in alio tempore tam facile non concipiunt, quoniam membra earum tunc aliquantum constricta sunt, velut in arbore est, quae viriditatem suam in aestivo tempore ad producendum flores emittit, in hiemali autem introrsum eam ad se trahit.

De conceptu. Sed cum mulier in coniunctione viri est, tunc calor cerebri eius, qui delectationem in se habet, gustum eiusdem delectationis in eadem coniunctione praenuntiat et seminis effusionem. Et postquam semen in locum suum ceciderit, praedictus fortissimus calor cerebri illud sibi attrahit et tenet, et mox etiam renes eiusdem mulieris contrahuntur, et omnia membra, quae in menstruo tempore ad apertionem parata sunt, modo ita clauduntur, quemadmodum fortis vir rem aliquam in manu sua claudit. Et deinde menstruus sanguis semen hoc commiscet et sanguineum facit et incarnat. Et postquam caro fuerit, idem sanguis vasculum illi circumducit ut vermiculus, qui sibi de se ipso domum parat. Ac sic vasculum illud de die in diem parat, quousque homo in eo formetur et dum idem homo spiraculum vitae accipit, atque deinde cum eodem homine crescit et tam firmiter stabilitur, quod se de loco suo movere non potest usque ad exitum eiusdem hominis.

De Eva. Prima enim mater humani generis posita erat ad similitudinem aetheris, quia ut aether stellas integras in se continet, sic ipsa integra et incorrupta sine dolore genus humanum in se habebat, cum ei dictum est: c r e s c i t e e t m u l t i p l i c a m i n i. Et hoc in pleno dolore fit.

De conceptu. Nam femina est nunc velut terra aratro arata et semen viri suscipit et in sanguinem suum involvit et calore suo calefacit, et sic illud crescit, dum spiraculum vitae in ipsum mittitur et dum maturum tempus venit, ut procedat.

De partu. Cum autem proles de femina procedere debet, tunc tantus terror et tantus tremor super eam fit, quod omnis femina in terrore hoc tremet, et quod venae eius sanguine superhabundanter effundunt, et quod omnes compagines membrorum eius vulnerantur, et quod cum lacrimis et eiulatu solvuntur, ut dictum est: in dolore paries; et in tali scilicet dolore, ut in fine temporum terra mutabitur. Omnes ergo feminae sanguinem magis cum livore permixtum habent quam viri, quod ipsae apertae sunt ut lignum, in quo cordae ad citharizandum positae sunt, et quia etiam fenestrales et ventosae ⟨sunt⟩, ita quod etiam elementa in eis vehementiora sunt quam in viris, et quod humores etiam in eis plus quam in viris habundant.

De fecunditate. Rivulus autem menstrui temporis in muliere est genitiva viriditas et floriditas eius, quae in prole frondet, quia, ut arbor viriditate sua floret et frondet et fructus profert, sic femina de viriditate rivulorum menstrui sanguinis flores et frondes in fructu ventris sui educit. Sed ut arbor, quae viriditate caret, infructiferum lignum dicitur, ita et femina, quae viriditatem floriditatis suae in forti aetate non habet, infertilis nuncupatur. Quemadmodum autem iuvenis arbor viriditatem quidem habet, sed flore fructuum adhuc caret, et cum ad fortitudinem ramorum pervenerit, in viriditate flores et fructus profert, sed tandem in plenitudine temporis, ex quo radicata fuit, viriditas eius contrahitur, ita quod aliquantum ex parte durum lignum fit et etiam ex parte fragile et putridum: sic etiam in femina erit. Nam puella viriditatem crescendo ad fortiorem aetatem habet, sed sanguine floriditatis suae caret; in forti autem aetate, cum membra eius confortata sunt, viriditas sanguinis floriditatem educit ad prolem. Sed in plena et perfecta aetate sanguis eius minuitur, ita quod etiam viriditas floriditatis sanguinis ipsius evanescit et quod caro eius contrahitur et durior et tenacior erit, sed tamen debilior, quam prius fuisset. Sed minores puellulae effluentes rivulos menstrui sanguinis

non habent et ideo etiam prolem non concipiunt, quod membra earum nondum perfecta sunt, velut ibi perfectio non est, ubi tantum fundamentum domus positum est et murus nondum perfectus. Cum autem ad duodecimum annum pervenerit, iam membra eius usque ad quindecimum annum confortantur, velut murus perficitur, qui supra fundamentum ad plenitudinem suam ponitur. A quinto decimo vero anno iam compago membrorum eius usque ad vicesimum annum perficitur, velut domus, quae trabibus et tecto iam perfecta est, in quam tunc quaeque utensilia ponuntur. Et ita femina deinde in venis et in compaginibus membrorum suorum perfecta iam virile semen concipere et retinere et calefacere potest, quod si aliqua femina ante vicesimum aetatis suae conceperit fetum, hoc aut de nimio calore naturae suae et mariti sui aut de multa amplexione amborum fit; sed tamen fetum infirmum et in aliqua re debilem producit.

De menstrui defectu. A quinquagesimo vero anno aut interdum a sexagesimo femina circa fenestralia loca sua implicatur et crescit, ita quod et rivulus menstrui sanguinis in domum suam, scilicet in membra, revertitur ut ager, qui post multum transactum laborem iam amplius nulla semina fructuum et frumenti potest suscipere aut gignere aut ⟨ ad ⟩ perfectum ⟨ producere ⟩ praeter flores aut alia bona gramina. Et hoc erit in muliere usque ad octogesimum annum, a quo deinceps a viribus suis omnino inclinatur. Nam a quinquagesimo anno aut aliquando in quibusdam feminis a sexagesimo menstrua cessant et matrix implicari et contrahi incipit, ita quod amplius prolem concipere non possunt, nisi interdum eveniat, ut aliqua ex qualibet superfluitate vix semel interim usque ad octogesimum annum prolem concipiat, in qua tamen aliquis defectus interdum continget, velut in illis multotiens evenit, quae infra vicesimum annum tenerae iuvenculae exsistentes in illa teneritudine concipiunt et pariunt. Ab octogesimo vero anno femina a viribus suis ad defectum inclinatur *velut dies,* qui ad occasum tendit.

De menstrui retentione. In quibusdam autem iuvenculis mulieribus multotiens guttae rivulorum sanguinis earum prae tristitia sic effluentem sanguinem mulieris valde constringunt, quoniam venae hunc sanguinem ad effusionem rivuli portant, quae de suspiriis contrahuntur et arescunt. Sed sicut arbor in aestate de sole floret et frondet, ita etiam menstrua mulierum de laetitia multotiens aperiuntur, et ut frigidus ventus et gelu et hiems folia et ramos arborum arefacit, sic etiam rivuli sanguinis, qui de muliere manare debebant, per tristitiam saepe arescunt. Et cum etiam in quibusdam feminis de superfluitate infirmitatum earum humores, qui in eis sunt, in diversum et contrarium malum superhabundant et effluunt, venas, quae rivulos sanguinis portant, in ipsis constringunt, ita quod menstrua earum deficiunt, quia tempestates humorum iniustum frigus et diversitatem caloris parant, ita quod sanguis earum interdum frigidus est et quod interdum fervet; unde etiam diverso modo in eis hac et illac discurrit; et tunc venae, quae tempore suo effluere debebant, propter ariditatem, quam in se habent, obligantur et non effluunt. Sed et aliae quaedam feminae sunt, quae infirmas carnes et crassas habent, quae magis de debilitate et de foeditate earum crescunt, quam de recta viriditate illarum. Et carnes istae ita supercrescunt venas et eas ita opprimunt, quod tam fortiter constringuntur, quod rivuli sanguinis earum obruuntur et quod recto tempore suo non possunt effluere, quod ora earundem venarum ita onerata et conclusa sunt, quod rivulos sanguinis sui effundere non possunt. Unde etiam et matrix ipsarum feminarum ita superhabundanter impinguescit, quod iter eius tam fortiter constringitur, ut vas aliquod clauditur, ne illud effluat, quod in se tenet; et ita sanguis eius constrictus tempore suo profluere non posset.

De calvaria. Sed quod calvaria in capite mulierum divisa est, hoc est velut via, per quam venae aperiuntur, cum rivulos menstrui temporis educunt. Et eo tempore ipsa calvaria aperitur et viam venis facit, ut purgatio menstruarum in mulieribus perficiatur. Sed postquam

purgatio illa finitur, calvaria concluditur et venas continet, ne amplius sanguinem educant, velut quaedam congeries lapidum et lignorum flumen retinet, ne supra modum effluat. Sed interdum quaedam mulieres dolorem diversarum febrium habent et dolorem stomachi et lateris ac renum, et dolores isti calvariae resistunt, ne iusto tempore suo claudatur, velut quaedam procellae inundando loca obstrusa transeunt, et ita rivuli sanguinis in muliere illa in iniusto tempore inordinate effluunt. Et tunc mulier illa in dolore est velut aliquis vir, qui ferro vulneratus est, et ideo eo tempore cum cautela se observet, ne inde plus laedatur, quia etiam medicina cum timore ei adhibenda est.

De conceptu et partu. Mulieres autem, quae infirmos humores cum sagittis, quod gutta ⟨in eis est⟩, in se habent, cum magnis doloribus gignunt, quia cum claustra infantis reserantur, humores tempestatem faciunt, ita quod localia loca exitus eius aut intumescendo aut ulcerando prohibentur, quemadmodum inundantes et irruentes fluctus rectum iter rivuli repente prohibent, ita quod rivulus ille in recto itinere suo fluere non potest, et quod etiam notari non potest, ubi iter illius sit. Et hac oppressione tam diu iter infantis prohibetur, usque dum per gratiam dei spiraculum vitae, quod anima est, se excutit cum corpore, sive infans vivat sive mortuus sit. Quod si mulier magnitudinem pinguedinis carnis habet, tunc iter infantis prae pinguedine maternae carnis intumescit et obstruitur, ita quod praegnans multum laborat, usque dum per gratiam dei spiraculum vitae, quod in infante est, se cum corpore suo excutit. Si autem femina recte temperata est, ita quod nec nimis pinguis nec nimis macra nec infirma exsistit, tunc iter infantis cum iniusto tumultu in ea non prohibetur. Sed tamen ab initio constitutum laborem et mater et infans patientur, et labores illi recto moderamine eveniunt. Et feminae, quae pingues non sunt nec infirmae, etiam si multum macrae sunt, iter infantis in eis non *prohibetur.* Sed tamen constitutum ab initio laborem

sustinebunt. Sed plurimi infantes de tumultu humorum et de pinguedine matris suffocantur, ita quod moriuntur, cum rectum iter eis prohibetur, ut praedictum est. Periculosum est autem eo tempore ullam medicinam periclitanti feminae dare, dum in partu laborat, quia aut de superfluis humoribus aut de pinguedine carnis aut de instanti alia infirmitate laborat, et ideo medicinae, quae malos et superfluos humores compescunt, non sunt ei dandae in exitu infantis propter eiusdem nascentis infantis periculum, quoniam, sicut homo suffocaretur, si sub terram poneretur, ita etiam de viribus et de fumo aromatum et herbarum infans suffocaretur, si ei instante tempore exitus sui adhibentur.

Item de conceptu. Mulier namque cum virile semen conceperit, conceptus seminis illius tam fortis est, quod omnem menstruum sanguinem mulieris sibi attrahit, velut fistula aut ventosa, quam minutor ad carnem hominis ponit, multum sanguinem et tabem ad se ducit. Et semen illud in muliere primitus in lacte est, deinde in coagulatione et postea in carne, velut lac coagulatio et coagulationem caseus subsequitur. Et sic infans in menstruo sanguine illo iacet et nutritur usque ad partum.

Item de partu. Cum autem partus institerit, infans cum inundatione sanguinis egreditur, velut inundatio aquarum aut lapides aut ligna in cursu suo educit. Sed livor et foetor menstrui sanguinis adhuc in ea remanent, quia ab ea tam cito purgari non possunt, quae postea paulatim ab ea per subsequentia tempora purgantur. Sed purgatio mulieris, quae in natura sua sicca est et quae in humoribus non multum habundat, post partum per pauca tempora completur, purgatio autem illius, quae in natura sua humida est et quae in humoribus habundat, diutius protrahitur quam illius, quae sicca est et quae multos humores in se non habet.

De infantis teneritate. Quod autem infantes mox non ambulant, cum nati fuerint, hoc ideo est, quoniam de tenui semine homo concipitur et quia caro et ossa eius

multam fragilitatem in se tunc habent, cum adhuc infans est, et quoniam magna fortitudo in homine est, cum se totum sursum erigit ad ambulandum; quod cetera animalia non faciunt, quoniam illa cum nata fuerint, mox pedibus suis incedunt. Et hoc ideo est, quia ad terram prona inclinata sunt, velut etiam infans manibus et pedibus reptat, antequam ad ambulandum se sursum erigere possit. Sed tamen quamvis animalia mox nata pedibus se sustentent, sedere tamen non possunt, sicut infans sedet, cum nondum supra pedes suos se erigere potest. Et quia animalia fortitudinem in cruribus et in pedibus habent, ideo nata mox incedunt. Sed quoniam homo de umbilico sursum fortitudinem habet, et quia in pedibus et in cruribus, dum infans est, debilis exsistit, idcirco tunc ambulare non potest.

Quod homo non natat. Sed quia homo gravis est in corpore, et manibus operatur et pedibus incedit et sursum erectus est, et quia etiam nec multum aereus nec aquosus est, ideo natura eius non habet, ut in aqua natet, nisi secundum hoc, quod interdum per se discit. Animalia vero fortitudinem in cruribus habent et prona incedunt et velut vento in cruribus vehuntur, et ideo naturaliter quaedam eorum natare possunt, quia ut in terra prona incedunt, ita etiam in aqua prona natant, quod homo non facit, quoniam totus erectus incedit et se inclinans et prosternens natat.

De uberibus. Circa umbilicum vero mulieris, scilicet superius et inferius umbilicum, quaedam venulae se invicem complicant, quarum quaedam sursum ad ubera se extendunt, quaedam deorsum ad matricem descendunt, et istae omnes de succo ciborum et potuum repletionem capiunt et nutriuntur, illae tamen magis, quae ad ubera, quam illae, quae ad matricem extenduntur. Interim autem dum mulier puella est, ubera ei crescunt, usque dum venulae, quae ad matricem extenduntur, rivulos menstruorum educunt; et tunc crescere desistunt, excepto quod postea velut spongia interdum replentur.

Item de conceptu et lacte. Conceptus autem in muliere menstrua sibi attrahit, ita quod rivuli illi, qui ab eadem muliere prius educebantur, ad eundem conceptum tunc transeunt. Qui cum in carnem et in ossa formari incipit, ita quod etiam a vitali spiritu motum accipit, venulae illae, quae ad ubera ascendunt, de vitali motu eiusdem conceptus et de virtute elementorum se aperiunt et deinceps de succo ciborum et potuum, quibus corpus mulieris nutritur, lac ad ubera ferunt. Et lac albedinem habet, quia cum cibus et potus sumitur, in praegnante muliere in duas partes se dividit, ita quod altera pars ex eo supplementum matrici tribuit, altera lacti in uberibus subvenit. Sic etiam sanguis in duabus naturis excistit, scilicet quod rubet, cum in quiete est, et quod albedinem emittit, cum in commixtione maris et feminae movetur. Nam et de cibo frumenti et de aliis coctis cibis lac albedinem capit, quïa frumentum albam farinam habet et cibus, dum coquitur, albam spumam eicit; ita etiam cibus et potus praegnantis mulieris velut albam spumam per succum suum ad ubera illius transmittit. Postquam autem infans natus fuerit, et postquam mulier purgatur, venulae illae, quae ad matricem descendunt, contrahuntur et interim menstrua educunt, dum venulae illae, quae ad ubera ascendunt, in lacte apertae sunt. Quod autem lac in uberibus habundat, interim dum infans sugit, hoc ideo est, ⟨quod⟩ cum infans sugit, per praedictas venulas lac sugendo ad ubera trahit et sugendo semper aditum praedictarum venularum ad ubera aperit.

De menstruis. Qui postquam sugere desistit, lac in muliere deficit et evanescit, et ita venulae, quae ad matricem tendunt, iterum aperiuntur et rivulos suos secundum tempora sua educunt. Sed dum mulier infantem lactat, si interim concipit, adhuc absque periculo infantis lactare potest, usque dum conceptus in carnem et in ossa in ipsa formatur; et tunc infantem lactare desistat, quia fortitudo et sanitas lactis ad conceptum per menstrua descendit, ita quod lac ab uberibus eiusdem mulieris magis livorem quam sanitatem deinceps emittit.

De digestione. Cum autem homo comedit, venulae, quae gustum sentiunt, eum per corpus dividunt, et subtiliorem succum eorundem ciborum interiores venae, scilicet iecoris, cordis et pulmonis a stomacho suscipiunt et per totum corpus deportant, et ita sanguis in homine augetur et corpus nutritur, velut ignis per follem ad incendium excitatur et sicut per ventum et rorem gramen viret et crescit. Nam sicut follis ignem excitat, et ut ventus et ros gramina educunt, sic etiam succus ciborum et potuum sanguinem et tabem atque carnem hominis exsurgere et augmentari faciunt. Sed ut follis ignis non est et ut ventus et ros gramina non sunt, ita quoque nec succus ciborum sanguis nec succus potuum tabes, sed succus ciborum secundum sanguinem coloratur et in ipso est, et succus potuum secundum tabem colorem accipit et in ipso manet, et sanguinem ad tabem ita extollunt et exsurgere faciunt, ut fermentum totam massam farinae, id est pastam, et in ipsis ita permanent et eis hoc modo coadunantur et cum eis et in eis evanescunt et consumuntur.

De egestione. Quod autem in comestis cibis et potibus defoetatum est, ad inferiora hominis descendit et in putredinem vertitur, et postquam putredinem acceperit, ab homine eicitur, quemadmodum ⟨cum⟩ uvae super tortular ponuntur, vinum in vas excipitur, et quod residuum est, scilicet folliculi, abiciuntur.

De sanguine. Et cum homo bibit, subtilior succus, qui in potu est, tabem sanguinis augmentat, et quod defoetatum est, in potu ad inferiora descendit, et postquam excoctum fuerit, de homine egreditur, velut liquor vini in vase superius natat et faeces in fundo iacent. Nam sanguis de succo ciborum augetur et tabes sanguinis de potu, nec sanguis sine tabe esse poterit, quemadmodum nec cibus sine potu in homine, quoniam si sanguis tabem non haberet, durus esset nec undas fluendo haberet; sicut etiam, si homo comederet et non biberet, totus aresceret nec vivere posset. Unde homo, qui malos et superfluos cibos comedit, malum sanguinem nutrit, et ille, qui malos et super-

fluos potus sumit, malum tabem in se auget, quoniam mali succi ciborum et potuum sanguini et tabi eius coadunantur.

De nutrimento. Cum homo comedit et bibit, vitalis tractus rationalitatis, qui in homine est, gustum et subtiliorem succum et odorem eorum sursum ad cerebrum eius ducit et venulas eius replendo calefacit. Sed cetera eorundem ciborum et potuum, quae in stomachum perveniunt, cor et iecur et pulmo calefaciunt, et de eodem gustu et subtiliori succo et odore in venulas suas trahunt, ita quod inde replentur et fomentantur et nutriuntur, velut si aridum et siccum intestinum in aquam ponitur, quod inde mollificatur et intumescit et repletur. Ita cum homo manducat et bibit, de succo ciborum et potuum venae eius replentur et fomentantur, ita quod succus ille in venis sanguinem et tabem fomentat et de succo venarum sanguis, qui in carne est, rubedinem sibi attrahit.

De esurie. Postquam comestio in putredinem vadit et arescit, venae de succo suo evacuantur, et sanguis carnis rubedinem perdit et aquosus fit. Tunc venae repleri desiderant, et sanguis carnis rubedinem affectant. Et hoc esuries est, quam homo patitur.

De siti. Cum homo comedit, in comedendo laborat ut mola in molendo, et de labore comestionis homo incalescit et exsiccatur et ita interius arescere incipit, quod sitis est. Et tunc modice bibat et iterum comedat, et cum iterum in comedendo in calore arescit, iterum sitit, et tunc iterum bibat, et sic faciat, interim dum comedit, quia si homo in cibo, scilicet interim dum comedit, non biberet, gravis mente et corpore efficeretur nec bonum succum sanguinis pararet nec bonam digestionem exinde haberet. Si autem in cibo suo supra modum bibit, malam inundationem procellarum in humoribus corporis sui facit, ita quod recti humores in eo disperguntur. Et interim dum cibi in putredinem et in ariditatem vertuntur, de calore illo venae et sanguis humectationem quaerunt, et hoc sitis est, et tunc homo moderate bibat et ariditatem in se humectet, alioquin molestiam et tarditatem mentis

et corporis incurrit. Et homo, qui viventem vitam in se habet et qui diversis cibis nutritur, maiorem indigentiam potuum habet, interim dum comedit, quam animalia habeant, quae feno et gramine pascuntur.

De dormitione. Homo post cibum statim non dormiat, antequam gustus et succus ac odor eorum ad loca sua perveniant. Sed post cibum per aliquam brevem moram a dormitione se contineat, ne si repente post cibum dormierit, eadem dormitio gustum et succum ac odorem ciborum in iniusta et contraria loca ducat et ne velut pulverem hac et illac in venis dispergat. Sed si homo per brevem moram se continuerit et tunc ad dormitionem se per modicam horam deposuerit, caro et sanguis eius ex hoc crescit, et sanus inde efficitur.

De nocturnali siti. Saepe autem contingit, quod homo et in die et in nocte, cum evigilat, de calore et de ariditate ciborum sitit. Sed ille caveat, ne mox bibat, dum sopor adhuc in ipso est, quia infirmitates sibi induceret et sanguinem et humores suos in iniustas procellas excitaret. Sed postquam evigilaverit, per aliquam moram a potu se contineat, quamvis multum sitiat, usque dum sopor pleniter ab eo recesserit.

De potu. Et tunc, sive sanus sive infirmus sit, post dormitionem si sitit, vinum aut cerevisiam bibat et non aquam, quia aqua tunc sanguinem et humores eius magis laederet quam eos iuvaret.

De paralysi fatigatione. Homo, qui de gutta paralysi fatigatur, humores destitutos in se habet, velut undae aquarum sunt, quae in inquiete moventur. Et ideo idem homo in moribus et in gestu suo moderatus esse non potest, et propterea vinum ieiunus bibat, vel si vinum habere non poterit, cerevisiam de ordeo aut de siligine factam ieiunus bibat, vel si nihil istorum habere poterit, aquam cum pane coquat et per pannum colet et aquam illam tepidam bibat et sic per singulos dies faciat, et undae procellarum guttae in eo compescuntur. Quod si *idem homo* cito corpore defecit, modicum ieiunus bibat,

ut praedictum est, si autem sanus corpore est, sufficienter de vino aut de cerevisia aut de aqua cum pane cocta ieiunus bibat, et gutta in eo quiescet.

De cotidiana. Qui autem cotidianas febres habet, quae diversis cibis nascuntur, ieiunus nihil bibat, quod interius siccus est, quoniam si ieiunus biberet, potus ille corpus eius pertransiret et eum magis infirmum quam sanum redderet. Sed prius comedat, ut venae eius de succo ciborum prius excipiendo fomententur, et sic potum de vino sumat, et eum non laedit. Quod si vinum non habet, cerevisiam bibat, et si illa caret, medonem sumat, vel si illam non habet, aquam coquat et eam infrigidari permittat et sic bibat.

De tertiana et quartana. Qui tertianas et quartanas febres habet, ieiunus non bibat nisi pro magna necessitate, si eum maxima sitis apprehendit, et tunc modicum frigidae aquae ieiunus bibat. Sed cum prandet, vinum bibat, et hoc salubrius est ei quam aquam bibat; si vero vino caret, cerevisiam de ordeo factam bibat vel si illa caret, medonem sumat, vel si illum non habet, aquam coctam et infrigidatam bibat. Et nullus homo ieiunus bibat, nisi per infirmitates compellatur, ut ieiunus bibat; et tunc ei salubrius est, ut vinum bibat quam aquam. Quod si aliquis absque necessitate vinum ieiunus bibit, avarum in cupiditate escarum et potuum eum facit et amentem et stultum in sensibus suis.

De comestione et cibo. Cum autem homo ieiunus ⟨est⟩, cibum, qui de frugibus est et de farina factus, primum comedat, quoniam siccus cibus est et sanam fortitudinem homini tribuit; et calidum cibum primitus comedat, ut stomachus eius incalescat, et non frigidum cibum, quod si primitus frigidum cibum comedit, stomachum eius ita frigidum facit, quod postea vix per calidos cibos incalescere valet. Sed calidum cibum primum comedat, usque dum stomachus eius bene incalescat. Et si deinde frigidum cibum comedat, calor, qui stomachum eius pertransivit, subsequens frigus in cibo superat. Et omnia

pomaria et ea, quae succos habent et humiditatem velut herbulae, in prima comestione sua devitet, quod tabem et livorem ac inquietudinem in humoribus ei inferrent, quae postea, dum iam aliquantum cibi sumpsit, comedere potest, et tunc ei magis sanitatem quam debilitatem conferunt.

De prandio. Homini autem sano in corpore bonum et salubre est propter bonam digestionem, ut a cibo prandii se contineat usque fere ante mediam diem et circa mediam diem. Infirmo vero et debili ac in corpore deficienti bonum et salubre est, ut mane prandeat, quatinus vires, quas per se non habet, de cibis saltem capiat. Ad noctem quoque eosdem cibos homo comedere potest et eosdem potus sumere, quos in die sumpsit, si voluerit, et tunc etiam tam tempestive ante noctem comedat, ut, antequam ad dormiendum se collocet, deambulationem suam habere possit.

De potus diversitate. Pretiosum autem et forte vinum bibitum venas et sanguinem hominis iniusto modo commovet et humores ac omnem humiditatem, qui in homine sunt, ad se trahit, velut purgatoriae potiones faciunt, et ita cum periculo ante maturum tempus urinam interdum educit. Quod Hunonicum vinum non facit, quia tam fortes vires in se non habet, quod humores hominis supra modum commovere possit. Et ideo vires pretiosi vini aut pane imposito aut aqua infusa minuantur, quia nec sano nec infirmo homini valet ad bibendum sic non temperatum. Sed necesse non est, ut Hunonicum vinum sic temperetur, quoniam fortes vires in se non habet. Sed tamen si aliquis homo ei aquam infundere voluerit aut panem imponere et sic bibere, tanto suavior quidem ad bibendum est, sed non tanto sanior. Vinum autem naturaliter aliquid aquatile in se habet, quia et de rore et de pluvia nutritur. Et inde etiam est, quod homo, qui vinum bibit, quamvis illud assidue bibat, et non aquam, in sanguine suo tamen aquatiles humores habet.

Item de sanguine. Nam sanguis aridus et siccus esset *et non flueret,* sicut nec medulla fluit, si livorem aquae

in se non haberet; et si sanguis humidus non esset, caro subsistere non posset, sed velut terra esset.

De ciborum differentia in hieme. Homo, ⟨qui⟩ in nimio frigore hiemis, cum ipse interius frigidus est, valde calidos cibos comedit, melancoliam sibi facile attrahit et eam in se excitat. Qui autem valde frigidos cibos comedit, cum ipse interius frigidus est, febres inde acquirit. Qui vero in frigore hiemis, cum ipse interius frigidus est, temperatos cibos comedit, id est nec nimis calidos nec nimis frigidos, ex eis modicam refectionem consequitur, quia bonum sanguinem ei non conferunt. Qui autem in tempore frigoris in valde calido loco temperatos cibos comedit, scilicet qui nec nimis calidi nec nimis frigidi sunt, cibi illi eum non laedunt, sed tamen calor, quem ipse tunc habet, debilitatem ei infert.

De frigoris temperamento. Homo, qui in frigore hiemis comedere vult, locum sibi faciat, qui nec nimis calidus nec nimis frigidus sit, sed temperatus, et etiam nec nimis calidos nec nimis frigidos cibos comedat, sed temperatos, et ita sanitatem in cibis retinebit. Et tamen quamvis calorem in vestibus sibi faciat, in frigido loco, interim dum comedit, non sedeat, quia si frigidum aerem comedendo in se trahit, ille eum infirmum reddit. Calor autem de prunis ad dorsum hominis ascendens, dum comedit, eum saniorem reddit, quam si calor ignis ei in faciem accedat.

De aestatis intemperie et ciborum diversitate. Homo autem, qui in aestate, cum interius valde calidus est, valde calidos cibos comedit, guttam in se facile excitat; si vero, cum in aestate valde calidus interius est, valde frigidos cibos comedit, flegma in se parat. Et ideo homo in aestate temperatos in calore et in frigore cibos sumat, et hi bonum sanguinem et sanam carnem ei conferunt. Et in aestate cum homo interius valde calidus est, si tunc multum comedit, de multa comestione sanguis eius supra modum incalescit et humores in malum modum vertuntur, atque carnes corporis eius inflantur et iniuste elevantur,

quia calor aeris tunc nimius est. Nam si tunc modicum comedit, debilitatem ei non infert, sed sanitatem ei retinet. In hieme autem, cum homo valde frigidus interius est, si multum comedit, sanitatem ei infert et pinguem facit. Sed tamen omni tempore homo caveat, ne ferventes et fumigantes ab humore cibos comedat, sed postquam cocti fuerint, sustineat, usque dum fervor et fumus humoris eorum abscedat, quod si eos ferventes et fumigantes comederit, ventrem eius inflando sustollunt et lepram in eo facile excitant. Sed et dum homo magnam tristitiam patitur, sufficienter de convenientibus sibi cibis comedat, ut per cibos refocilletur, quoniam tristitia eum gravat. Dum autem magnam laetitiam habet, modicum comedat, quoniam sanguis eius in apertione vagationis tunc dissolutus est, ne si tunc multum comederit, humores, qui in sanguine eius sunt, in procellas febrium vertantur. Et homo in hieme non multum bibat, quia aer humores eius tunc humectat, quoniam si tunc multum biberit, humores, qui in se sunt, evertunt et sibimet infirmitates inducit. Et vinum aut cerevisiam in hieme bibat et aquam, si potuerit, devitet, quia eo tempore aquae sanae non sunt propter humiditatem terrae. In aestate vero plus quam in hieme bibat et secundum modum et qualitatem ciborum, quos tunc sumit, quoniam humores in ea tunc exsiccantur; et aqua tunc bibita minus eum laedit propter siccitatem terrae quam in hieme. Et in aestate, cum homo interius valde calidus est, et si etiam tunc sanus in corpore est, aquam tepidam moderate bibat et mox hac et illac parumper deambulet, ut in eo incalescat. Et hoc ad sanitatem corporis ei utilius est quam si vinum bibat. Si autem in corpore infirmus est, et si in aestate est, vinum aqua mixtum aut cerevisiam bibat, quia hoc eum magis refocillat, quam si aquam bibat. Sed tamen omni tempore tam aestatis quam hiemis homo caveat, ne supra modum bibat, quoniam nimia pluvia terram infundendo laedit; sic etiam ille, qui supra modum bibit, corpus *suum ad* inutilitatem diversorum humorum ducit. Nec

etiam homo supra modum sibi potum subtrahat, quoniam si in abstinentia potus aridum se fecerit, gravitatem mentis et corporis inde incurrit. Nec cibi, quos comedit, bonam digestionem nec sanitatem corporis ei interius inferre possunt, velut etiam terra gravis et dura et arida fit nec bonos fructus affert, si humectatio pluviae ei subtrahitur. Cum autem venter hominis cibis et potibus repletur, necesse est, ut purgationem digestionis habeat.

De minutione. Cum venae hominis sanguine plenae sunt, a noxio livore et ab humore digestionis suae per incisionem purgari debent. Cum autem vena hominis inciditur, sanguis eius quasi repentino pavore concutitur, et quod tunc primum egreditur, sanguis est, et putredo et digestio sanguinis simul emanant, et ideo quod tunc emanat varios colores habet, quoniam tabes et sanguis est. Unde postquam tabes cum sanguine emanaverit, purus sanguis egreditur, et tunc a minutione cessandum est. Qui autem sanguinem in vena minuit, tunc si sanus et fortis corpore est, eum ad mensuram hanc minuat, quam fortis et sitiens vir uno tractu halitus in aqua bibere potest. Quod si debilis corpore est, tunc sanguinem in vena ad mensuram hanc minuat, quae ovum rectae moderationis includere potest. Nam minutio sanguinis, quae supra modum fit, corpus debilitat, sicut et inundatio pluviarum, quae sine moderatione supra terram cadit, eam laedit. Illa autem minutio, quae recta fit mensura, malos humores aufert et corpus curat, quemadmodum et pluvia, quae paulatim et moderate super terram cadit, eam inundat et salubrem ad producendum fructus facit.

De minutionis diversitate. Nunc autem, ut praedictum est, quod primum de vulnere et de incisione venae egreditur, sanguis est, et in eo venenum et pestiferi humores simul emanant. Deinde cum emanatio illa in rectum ruborem et in alium colorem mutatur, sanguis et humores aequalis mensurae sunt. Tunc si idem sanguis amplius emanaverit, boni et mali humores cum reliquo *sanguine simul* subsequuntur. Et tunc ab eadem effusione

cessandum est, quia, si tunc amplius illa effusio emittitur, livores sanguine amisso superhabundant et melancoliam ac alias pestes in eodem homine excitant, quoniam paupertas sanguinis eis resistere non valet. Sed et quemadmodum esuries corpori vires minuit, ita etiam immoderata minutio sanguinis corpus debile facit, moderata vero corpori sanitatem tribuit, sicut et moderatus cibus et potus corpus sublevant.

Quando minuatur. Qui fortis et sanus atque crassus in corpore est, ille in tertio mense minuat, quia in duobus augmentis et in duobus detrimentis lunae sanguis in homine iam ad se rediit et venae eius plenae sunt, quoniam, si prius minuerit, se debilem facit, quia sanguis nondum vires suas ad plenum recepit, vel si diutius distulerit, sanguis in eo superhabundans inficitur, id est quasi in faeces vertitur. In detrimento autem lunae minuat, scilicet in prima die, cum luna decrescere incipit, aut in secunda aut in tertia aut in quarta aut in quinta aut in sexta die, et tunc cesset, quia prior et postera minutio tam utilis non erit; et non minuat in incremento lunae, quod minutio illa nociva est, quoniam tunc tabes sanguini intermixta facile ab eo separari non potest. Nam in augmento lunae sanguis et tabes simul in homine quasi moderate fluunt nec se tunc facile separari permittunt, sicut fluvius, qui in loco suo temperate currens modum suum servat; in detrimento autem lunae sanguis concuti et inundare magis incipit et tabem supereffluere facit, velut fortis inundatio aquae, quae foetida in se ostendit et spumam de se eicit. Sed minutio in venis magis senibus congruit quam iuvenibus, quoniam sanguis in venis senum plus tabe permixtus est quam sanguis in venis iuvenum. Masculus tamen, si necesse fuerit, in duodecimo anno aetatis suae venam incidere potest, quod sanguis in eo iam confortatus est, sed tamen ad mensuram illam minuat, quantum duae testae nucis unius capere valent, et hoc faciat semel in anno et usque ad quintum decimum annum, quinto decimo autem anno, quia iam sanguis

hominis fortitudinem habet et venae eius plenitudinem, tunc, si sanus est corpore, secundum mensuram illam sanguinem minuat, quam sitiens vir uno halitu in aqua bibere potest, ut supra dictum est; et hoc faciat usque ad quinquaginta annos. Post quinquagesimum vero annum, quo iam sanguis et flegma in masculo incipiunt decrescere et corpus eius arescere, semel in anno venam incidat et medietatem mensurae illius, quam ante in minutione sanguinis habuit, minuat, et hoc usque ad octoginta annos faciat. Postea vero nulla incisio venae illi prodest, sed magis eum laedet, quia iam viror sanguinis in eo aruit, nisi magna inundatio et eruptio humorum ipsi forte superveniat, et tunc propter hanc magnam necessitatem modicum sanguinis in vena emittat. Sed quia post octoginta annos venae masculi iam deficiunt et minutio sanguinis ei non valet, herbis, scilicet cardi nigri et similibus in corpore suo pustulas inturgescere faciat, ut ita noxius humor, qui est inter cutem et carnem, rumpentibus pustulis effluat. Mulier autem magis plures noxios humores et magis noxiam tabem in corpore suo quam masculus habet.

De mulieris minutione. Unde et ipsa a duodecimo anno aetatis suae eandem constitutionem et eandem observationem minutionis sanguinis in vena observet, quam et masculus habet, excepto quod ipsa minutionem suam usque ad centesimum annum prolongabit, quoniam de noxiis humoribus et de infecta tabe maior necessitas ei incumbit quam viro. Quod etiam menstruum tempus ita ostendit. Nam si menstruo tempore de noxiis humoribus et de tabe non purgaretur, tota intumesceret et inflaretur nec vivere posset. Post centesimum autem annum sanguinem in vena non minuat, quod tunc tam sanguine quam humoribus profluentibus iam purgata est. Sed si forte postea aliquos humores in se senserit, tunc pustulas inturgescere faciat et in eisdem locis, in quibus cocturae solent in homine fieri.

De venis. Sciendum est, quod in cephalica plures humores habundant quam in mediana aut quam in epatica, quia etiam cephalicae plures venae adhaerent, quae humores

portant, quam medianae aut epaticae; et ideo salubrius est, ut in cephalica sanguis saepius minuatur quam in aliis venis. Nam qui multum flegma in capite et in pectore habet, aut cui caput reboat, ita quod auditus eius inde aliquantum obduratur, sanguinem in cephalica minuat, sed tamen praecaveat, ne multum sanguinis ibi emittat, ne forte oculi eius exinde caligare incipiant, quoniam quaedam venulae, quae ad oculos tendunt, ipsis adhaerent, ita ut, si multus sanguis ab ea aufertur, etiam venulae sibi adhaerentes sanguine evacuantur et ita homo in oculis caligare incipit.

De scarificatione. Cui oculi a malis humoribus caligare incipiunt aut cui ulcerosi sunt vel cui caro circa oculos evolvitur, retro aures et inter cervicem cornibus aut ventosis sanguinem moderate minuat, et hoc ter vel quater in anno faciat, vel si saepius ibi pro necessitate scarificare vult, tanto minus sanguinis emittat, ne si sanguinem supra modum abstulerit, inde laedatur. Et ea parte corporis in vena sanguinem minuat, qua parte dolet. Si quis in lingua dolet, ita quod aut tumet aut *suiret*, eam aut cum modico flebotomo aut cum *brema* parumper incidat, ut ibidem livor erumpat, et melius habebit. Et qui in dentibus dolet, cum modico flebotomo aut cum *brema* carnem, quae circa eundem dentem est, id est *zanefleich*, uno vulnere modicum incidat, ut tabes ibidem egrediatur, et melius habebit. Qui autem triste cor et oppressam mentem habet, et qui in quolibet latere aut in pulmone dolet, in mediana sanguinem minuat, sed tamen moderate, ut fortitudinem cordis retineat, ne si supra modum ibi sanguinem minuerit, in corde minuat. Quod si quispiam in corde dolet, antequam in vena sanguinem minuat, in dextro brachio in mediana sanguinem auferat, et in corde melius habebit. Si quis vero in epate et in splene dolet, aut si quis in collo et in gutture quasi conclusionem spiraminis sentit, aut qui caliginem in oculis patitur, in epatica sanguinem minuat, et melius habebit. Quod si in epatica aut in cephalica satis de sanguine abs-

tulerit, minus inde dolebit, quam si multum sanguinis in mediana auferat. Et tam in hieme quam in aestate in utroque brachio in praedictis venis homo licenter minuere poterit secundum qualitatem infirmitatum suarum. Et in his tribus venis, scilicet in cephalica, in mediana et in epatica praecipue minutio sanguinis fiat, quia ipsae venae velut caput et fundamentum aliarum venarum sunt, et quoniam omnes ceterae venulae ad ipsas tendunt et ipsis annexae sunt; et ideo ceterae venulae raro incidantur, quoniam eas incidi non oportet, nisi pro magna necessitate, ne forte ariditatem incurrant, quoniam si qua istarum principalium inciditur et sanguine evacuatur, tunc et venulae, quae ad illas annexae sunt, aliquantum de malis humoribus, qui in ipsis sunt, minuuntur. Si vero aliqua earundem venularum inciditur, principales venae et aliae venulae ei adhaerentes non multum ob hoc minorationem sanguinis sui in se sentiunt. Nam si de magno flumine multi rivuli effluunt, et si tunc aliunde per voluntatem hominum aliqua vena ab eodem flumine educitur, omnes rivuli, qui ab eo fluunt, minorationem aquarum eis sentiunt. Si autem de aliquo rivulo ei adhaerente aliqua vena aquae educitur, fluvius ille et alii rivuli egredientes minorationem aquarum suarum ob hoc non multum sentiunt, sed tantum rivulus ille, de quo eadem vena educta est, in se ipso minoratur et arescit. Sed et incisio praedictarum principalium venarum in inflexione brachiorum fiat, quia cum ibidem vena inciditur, humores magis ibi coadunantur quam in loco illo, ubi nulla inflexio est. Quod si venula aliqua aut super artum aut super pedem aut in pollice aut aliunde in corpore hominis pro aliqua infirmitate inciditur, praeter inflexionem brachiorum, prodesse quidem aliquantum illi poterit, sed nulla incisio tantum valet quantum illa, quae in inflexione brachiorum fit in praedictis tribus principalibus venis. Homo autem sive masculus sive femina sit, dum in iuventute sua et in longitudine et in grossitudine naturaliter crescit, venam ad minuendum sanguinem interim non incidat, quamvis

necessitatem habere videatur, quia, dum venae et sanguis in homine naturaliter crescunt, si quis venas illas incidit et sanguinem emittit, hominem illum debilem in corpore et in moribus ac in sensu suo aliquantum velut vacuum facit. Sed si necesse habuerit, cocturas interim faciat et per scarificationem sanguinem emittat, quod tabes in sanguine iuvenum magis habundat quam in sanguine senum. Postquam autem homo tempus aetatis illius transierit, quod iam amplius in corpore naturaliter non crescit, velut post viginti annos est, si tunc propter infirmitatem necesse habuerit, venas incidat, sed tamen moderate sanguinem emittat. Si vero sanus in corpore est, venas non incidat, sed scarificationem habeat et cocturas faciat, quoniam venae et sanguis eius nondum ad fortitudinem suam pervenerunt. Cum autem ad perfectam aetatem scilicet triginta annorum pervenerit, tunc, sive infirmus sive sanus sit, sanguinem in venis licenter minuat, quia venae et sanguis ipsius ad perfectionem suam iam pervenerint, et sanitatem corporis sui retinebit.

De cruoris differentia. Homo autem, cuius sanguis de vena emissus turbidum colorem <habet> , ut halitus hominis est, et qui inter colorem illum nigras maculas habet et in circuitu suo, id est in ambitu, quasi cerosus est, cito morietur, nisi deus restituat eum ad vitam. Nam turbidus color in sanguine ostendit, quod humores in frigiditate ad mortem moti sunt, nigri autem *stramum* in sanguine melancoliam ad mortem motam esse demonstrant, circuitus vero in sanguine cerosus fel etiam ad mortem motum esse denuntiat. Quod si color sanguinis hominis turbidus est et cerosus absque nigris maculis, mortem evadere potest, sed tamen multum infirmatur, quia quamvis humores in frigiditate ad mortem moti sunt, nigri tamen *stramun* melancoliae nondum moti sunt. Et ideo ille mortem evadet. Si autem niger est et turbidus absque ceroso colore, tunc homo ille in magna desperatione est, ita ut non liberetur, nisi deus liberet eum; sed tamen evadet mortem, quoniam *quam*vis melancolia et humores ad mortem moti sunt,

fel tamen in loco suo absque motione manet; et idcirco idem homo non morietur. Sed si isti colores in incisione venarum simul apparent, periculosum est, et homo ille non potest evadere mortem, nisi deus suscitet eum, quia et humores et melancolia et fel ad mortem pariter moti sunt. Si autem colores isti separati sunt, ita quod duobus unus color istorum deest, mortem evadere potest, quamvis multum doleat. Et haec est praescientia in colore sanguinis hominum, qui aut sciunt aut nesciunt se adhuc infirmari. Et exspiratio melancoliae turbida est, et ipsa etiam habet vires fellis, ita quod cerosa est; sic est melancolia. Homo autem, qui in vena sanguinem minuit, se per triduum a radiorum solis claritate et a claritate flammantis ignis observet, quia in hoc triduo illa claritate visa sanguis in homine concutitur et contremiscit atque defectum cordi saepe infert.

De minutionis diaeta. Claritas vero diei temperata est et absque multum radiante sole exsistens minuto non obest. Sed et omni tempore et praecipue in sanguinis minutione ab ardore solis et ab ardore ignis sanguis, qui circa oculos hominis est, fervet et pellicula, scilicet membrana, quae oculos continet, exspissatur et sic caliginem visui inducit. Minutus autem sanguine in vena diversos cibos et assos et eos, qui diversum succum habent, et cruda poma et cruda olera non comedat, quia haec in venis suis tunc livorem potius quam sanguinem augerent. Et forte vinum non bibat, quoniam sanguinem eius concuteret et eum facile amentem faceret; sed competentem cibum et unum ferculum aut duo comedat, ita quod sibi honeste sufficiat, et suave et purum vinum bibat. Et hoc per duos dies faciat, quia sanguis eius attenuatus adhuc in motione est. In tertia vero die sanguis vires suas recipit et ad loca sua diffunditur. Caseum autem minutus devitet, quoniam tunc livorem sanguini subministrat et rectum ac purum sanguinem non parat, sed cum infirmitate eum impinguat. Nunc autem, qui multum sanguinem habet et venas sanguine plenas, si sanguinem non purgat

per minutionem incisionis in vena aut scarificationis, sanguis eius aliquantum cerosus erit et infirmus, et sic homo ille infirmitatem incurrit.

Quando minuatur. Cum ergo aliquis homo venam ad minutionem sanguinis incidere voluerit, hoc ieiunus faciat, quia cum homo ieiunus est, humores, qui in ipso exsistunt, a sanguine aliquantulum separati sunt, et sanguis in homine tunc recto et bene temperato modo fluit, velut rivulus, qui in loco suo absque ulla commotione ventorum aut aeris recte et ordinate manat. Sed postquam homo cibum acceperit, sanguis in eo aliquantulum fortius inundare incipit, et ita humores se illi aliquantum intermiscent, nec tunc facile ab invicem separari possunt. Et ideo, cum homo ieiunus est, venam incidat, ut humores a sanguine separati tanto facilius effluant, excepto aliquo homine in multa debilitate et infirmitate exsistente, qui modicum cibum capiat, antequam venam incidat, ne deficiat.

De scarificatione. Qui scarificari vult, hoc ieiunio fiat, quia tunc tabes a sanguine separata effluit. Nam postquam homo prandit, sanguis tabi intermiscetur, et si tunc homo scarificari voluerit, sanguis cum tabe effluit. Ne autem homo in corde deficiat, modicum panis et vini sumat, antequam scarificationem accipiat. Omni tempore scarificatio bona et utilis est, ut noxii humores et livores, qui in homine sunt, minuantur. Nam inter cutem et carnem livores maxime habundant, et hi praecipue laedunt homines. Scarificatio autem magis iuvenibus quam senibus congruit, quoniam iuvenes in humoribus plus habundant quam senes. Et scarificatio magis in aestate quam in hieme convenit, quia homines in aestate magis novos cibos et novos et virides succos comedunt quam in hieme, unde novos etiam livores attrahunt. Qui vero molles et pingues carnes habent, in uno mense per scarificationem bis sanguinem extrahant. Qui vero macres sunt, hoc in quolibet mense semel faciant, si opus fuerit. Et qui in oculis aut in auribus seu in toto capite dolet, cornu vel ventosam in

confinio colli et dorsi ponat. Qui vero in pectore dolet, cornu in scapulis figat, aut si in lateribus dolet, id in utroque brachio et ubi manus finitur, ponat, vel si in cruribus dolet, illud ad ilia figat, aut si in iliis torquetur, id inter nates et poplitem ponat, id est in coxas. In locum autem, in quem ventosa vel cornu ponitur, non plus quam ter vel quater una eadem hora, qua sanguis ibi extrahitur, ponatur. In suris vero aut in tibiis scarificatio non fiat aut raro fiat, quia in eis sanguis plus habundat quam humores, nisi tamen propter magnam necessitatem humorum fiat; nec humores illuc trahantur, quoniam totum corpus per crura sustentatur. Qui autem modo per scarificationem humores et sanguinem minuunt, non oportet, ut se a claritate solis aut ignis aut cibis tam caute observent sicut deberent, si venam incidissent; sed cibis reficiantur, ut prius solebant, quoniam per scarificationem fistulae illae, id est venae, quae vitam hominis in se portant et quae compaginem membrorum compingunt, incisae non sunt, quia cum una huiusmodi fistula inciditur, ceterae omnes incisionem illam sentiunt et ei compatiuntur. Si autem equo aut bovi aut asino vena incidenda est in minutione sanguinis, et si idem animal forte et corpulentum est, tunc quantum picarius capere potest aquae sanguis ei minuatur.

De minutione bruti. Si vero equus aut bos sive asinus debilis et macer fuerit, ad dimidium picarium sanguis ei minuatur, scilicet secundum propriam crassitudinem et tenuitatem virtutis suae. Sed post minutionem molle pabulum et aridum ac suave fenum ei ad comedendum dabitur. Et tunc etiam per duas septimanas aut per unam aut per quatuor dies post minutionem quiescat, quatinus vires suas recipiat, quod semper in labore est. Et tribus mensibus transactis in quarto mense eidem animali sanguis in vena iterum minuatur et non prius, nisi pro magna necessitate infirmitatis, quod tam mali humores in huiusmodi animalibus non habundant sicut in homine. Ovi autem sanguis in vena saepe minuatur, sed tamen modicum *sanguinis, quod* propter diversam auram facile infir-

matur. Nam in humida et in bene temperata aura ovibus vena incidenda est, quoniam mali humores in eis tunc crescunt; in sicca autem aura incisio ista vitanda est, quoniam humores in eis tunc minuuntur.

De cocturis. Ustio autem, scilicet coctura, omni tempore bona et utilis est, quod si discrete fit, intercutaneos humores et livores minuit et sanitatem corporibus affert. Et tam iuvenibus quam senibus congrua est, iuvenibus scilicet, quod cum caro et sanguis eorum per iuventutem crescunt, tunc etiam mali humorēs in eis augentur; senibus autem, quoniam cum caro et sanguis cum senectute in eis minuuntur, tunc inter cutem et carnem eorum livores remanent. Sed senibus aliquantum salubrior est quam iuvenibus, quod carne et sanguine eorum labentibus et cute contracta tabes inter cutem et carnem tanto magis discurrit. Iuvenibus vero ita salubris non est ut senibus, quia, ut caro in eis augetur et dum sanguis in eis fervet et dum cutis eorum tenuis et extensa est, tunc multotiens sanguis, qui eis sanitatem et fortitudinem confert, cum noxiis humoribus per ustionem cocturae effluit. Sed tamen coctura iuvenibus salubrior est in hieme quam in aestate, quia cum ipsi et aestas simul fervent, ⟨cavere debent⟩, ne in aestate sanguinem per cocturam cum livore emittant. Et ideo in hieme cocturam faciant, quia hiems humida et frigida est et ipsi calidi, et sic facilius sanguinem in se retinent et humores emittunt. Senibus autem coctura praecipue congrua est in aestate, quoniam cum ipsi iam frigescunt, aestas calida est, et ita humores in eis per calorem aestatis excitati in coctura effluunt, quia calorem, quem ad expellendum livores in se non habent, illum per aestatem habent. Qui vero cocturam faciunt, cutem tantum perfringant, ne forte carne profundius perforata sanitas hominis cum sanguine magis effluat quam tabes et quam noxii humores. Qui autem perfectae aetatis sunt et pingues in corpore, cocturam tantum per circulum unius anni habeant et postea per dimidium annum illa careant, et tunc iterum, si voluerint, eam in alio loco cor-

poris sui ponant. Sed qui macilenti sunt, cocturam per dimidium annum teneant et ea allata dimidio anno transacto iterum, si voluerint, cocturam faciant, sed tamen in alio loco corporis sui, quia, si coctura in uno eodemque loco corporis saepius et diutius fit, caro ibi multam saniem colligit et sic debilitatem incurrit et indurescit, vel si diutius et indiscrete in ullo homine tenetur, tunc malis humoribus et livoribus deficientibus sanitas et sanguis hominis eicitur. Adulescentibus autem coctura per decem hebdomadas sufficiat. Cum autem coctura facienda est, aut isca aut medulla fusarii aut nodo de lineo panno facto intendatur, non autem ferro, quia illud multos livores indiscrete attrahit, nec sulphure, quoniam et carnem putrefacit et foetentem reddet, nec etiam thure, quia illud flammas emittit et cutem arescere facit. Nam isca et medulla fusarii et lineus pannus leniorem ignem habent quam alia incendibilia et cutem tantum perstringunt et carnem non perforant, quia ubi cutis tantum vulneratur, ibi humores emanant et non sanitas hominis; ubi autem caro cum cute per ignem perforatur, sanitas hominis cum tabe egreditur. Sed si eam diutius quilibet voluerit habere et panno circumligare, tunc medulla de corylo sumpta et modica stuppa de lino circumposita imponat. Quod si eam absque ligamine et parvo tempore vult habere, tunc stuppam de lino aut crines de lepore imponat. Homo autem, si necesse fuerit, a duodecimo anno aetatis suae cocturam facere potest usque ad sexagesimum annum aetatis suae; et postea illam non habeat, quia deinde magis eum laedit, quam ei sanitatem conferat, nisi magna necessitas infirmitatis eum illam habere cogat. Qui autem in oculis aut in auribus aut in toto capite dolet, retro aures modice uratur nullo ligamine ibi utens, et qui in dorso dolet, inter scapulas modice uratur aut in brachiis, ubi ligamen habere possit, coquatur; et qui in iliis dolet, in fine ossis illius et dorsi uratur, et qui multos humores in toto corpore habet, inter tibiam et suram ante in crure coquatur et ibi ligamen habeat. Et sicut ille, qui san-

guinem ad venam minuit, interdum cessat, ita et iste faciat, qui cocturam parat. Et cum aliquantum tempus in die cessaverit, iterum se coquat. Qui autem cocturam facit, pannum de canabo sumat et eum vel ter vel quater in cera intingat et super corticem de ulice ponat, quia cum cera super cocturam fortiter iacet, et cocturae superponat, ita quod omni parte pannus ille corticem excedat. Et sic pannus ille foetorem cocturae continet, ne procedat. Nam quanto plus foetor in coctura continetur, ne multum extendatur, tanto plus livor extrahitur et non sanguis. Si autem foetor cocturae extenditur, ita quod non continetur, tunc tanto plus sanguinis de coctura egreditur et tanto plus livor interius manet. Et cortex de cupro super cocturam non valet, quia succus cupri contrarius est carni hominis. Sed et cum panniolus, qui super cocturam ponitur, iam plenus est livoris, ita quod panniolus ille de livore concaluit, tunc homo panniolum illum de coctura auferat et alium superponat, quod si tunc super cocturam diutius iacuerit, humores, qui tunc ibi attracti sunt, arescunt. Si autem panniolum illum abstulerit, antequam livore incaluerit, eum laedit, quia livor, qui se illuc congregaverat, in carnem redit.

De excreatione. Sed quemadmodum terra semper humida est et ut multa foetida et ut multa inutilia de illa exsudant, sic etiam homo in carne sua humidus ea, quae foetida et putrida in ipso sunt, per excreationem de se eicit, quod de limo terrae est. Et si terra humida non esset, fertilis in fructibus non exsisteret sed arida, ita quod homo, si humiditatem in se non haberet, inflexibilis et infructuosus ad quaeque opera foret.

De animae igne. Anima autem hominis ignea est et quatuor elementa ad se trahit et in hoc etiam facit hominem circuire visu et auditu ac similibus actibus eius. Et anima est quaedam vis in homine, ut ignis in aqua, quod homo sine anima vivere non posset, ut etiam aqua absque igne fluere non valeret, si eum in se non sentiret.

De saliva. Sed anima vim unam, scilicet salivam, in homine de aqua sumit, cum aqua rationalitatem ad loquen-

dum aspargit et praeparat, ut chordae per ceram seu per bitumen iuvantur, quatinus pulchrum sonum habeant. Saliva autem munda et pura esset, nisi quod anima ignea est; et sic saliva de igne animae velut spuma est, quemadmodum aqua de igne et de sole spumam eicit, scilicet de calore eorum. Et quoniam anima ignea est, idcirco etiam ei inest, ut aquosa sit, quoniam fenestrae animae oculi sunt, qui ignem et aquam in se habent. Sed et omnis humiditas, quae in homine est, aquosa est et ad iter rationalitatis tendit, ut ipsa rationalitas in homine sonare possit. Nam anima de cerebro et de visceribus aquam in salivam educit, ut homo loqui possit, quia homo nec sonare nec verbum creare posset, si humorem in se non haberet, sed aridus esset; et ideo saliva velut bonum unguentum est, quod ut unguentum sanitatem advocat, ita et saliva visum et auditum ac odoratum et vocem et verba atque omnia utilia sanitatis in homine tenet et producit.

De stomachi frigiditate. Qui autem frigidum stomachum habet, ille plurimam aquam salivae eicit, quod calidus non est, et ideo etiam debilis est; qui vero calidum habet stomachum, modicam aquam salivae eicit, quod interius aliquantum aridus est, et ideo graves febres facile incurrit.

De carne. Unaquaeque autem caro viridis est et de viriditate illa livorem habet. Sic etiam in carnibus pecorum ostenditur, quae occiduntur, quoniam, si illae suspenduntur, guttae livoris effluunt. Homo autem, qui macras et tenues carnes habet, livorem de se facilius exsudando emittit quam ille, qui pinguibus carnibus oneratus est, quoniam ille, qui macras et tenues carnes in corpore suo habet, est ut caseus plurimis foraminibus perforatus, qui non est fortiter compressus. Et aer ac cetera elementa eum facile pertranseunt. Unde etiam facile humores in se habet et plurimum excreat, quia tenues carnes habet. Tunc etiam calor et gustus ciborum et potuum de stomacho eius surgunt et ad iecur et ad cor et ad pulmonem ut venenum fumigant et ascendunt; sed calor iecoris et cordis ac pul-

monis hunc livorem pati non potest, sed eum a se ad pectus et ad guttur expellit, ut cibus, qui spumam de se emanare facit, cum ad ignem coquitur.

De emunctione. Qui frigidum et infirmum stomachum et infirma viscera habent, hi de infirmitate illa frigidum et humidum fumum ad cerebrum suum emittunt, et ille fit ut coctum venenum, et sic a naribus et ab ore emittitur, ut etiam stellae in aere purgantur, ut etiam terra quaedam sordida et foetida de se emittit.

De cerebri et salivae et emunctionis purgatione. Nam cerebrum fenestras habet, quae semper ventosae sunt et de quibus semper mollificatur et humidum fit, quae sunt oculi, aures et nares et os hominis, ita quod frigida et humida foeditas humorum ibi in exeuntes vias narium et gutturis congregatur, quoniam cerebrum eam pati non potest, sed eam ad purgationem hominis emittit et pulsu aeris educitur. Quod si homini purgatio ista prohibetur aliquo modo, homo insaniret et aresceret, quia stomachus periret et cerebrum putresceret, quoniam foetorem hunc pati non possent, sicut nec mare sordida et immunda suffert, quin ea de se eiciat. Qui autem constrictas carnes habent, hi tam duri in carnibus suis sunt, ut caseus, qui tam fortiter compressus est, quod liquor ex eo fluere non potest, et ideo in carnibus eorum viror livoris remanet et ita in eis indurescit, quia hanc foeditatem excreare non possunt. Sed humiditas ciborum et potuum et alii humores tanto debiliores in eis sunt, quia exterius adiutorium livoris, qui in carne est, non habent, quoniam prae constrictione et duritia carnis istorum effluere non possunt. Et hi infirmi sunt interius in corpore et exterius in carne ulceribus, quia sordes livoris in eis remanent, nec eos excreare possunt. Ac ideo tam in pectore quam in venis et reliquo corpore multum dolent. Qui vero pingues carnes in corporibus suis habent, diversis humoribus habundant et facile tussitant, sed modice excreant, quod aer ac cetera elementa in eos difficulter intrantes prae pinguedine et spissitudine carnis facile exire non possunt nec humores ad purgatio-

nem excreationis movere. Qui enim in flegmate superhabundant et flegma non eiciunt, infirmis et debilibus carnibus se onerant, et ideo sani non sunt nec sani esse possunt. Qui autem in flegmate superhabundant, si flegma eiciunt, aliquantum macilenti et sani in corpore fiunt, quod sordes illas in se non retinent. Sed qui flegma non eiciunt et inde infirmitatem contrahunt, ut praefatum est, potionibus utantur et per eas purgentur.

De sternutatione. Cum sanguis hominis in venis suis vigilans et velox non est, sed cum iacet velut dormiat, et cum humores in eo veloces non sunt sed tepidi, anima hoc sentiens ex natura sua totum corpus per sternutationem concutit et sanguinem ac humores hominis iterum ad vigilantiam et ad statum suum redire facit. Nam si aqua per procellas et per inundationes non moveretur, putresceret; ita homo si non sternutaret vel si nasum per emunctionem non purgaret, interius putresceret.

De sanguinis fluxu a naribus. Cum autem homines magnam iracundiam et contumacem mentem intra se habent, ita tamen quod ex aliqua causa inaudaciae seu timoris seu pudoris constricti haec per tristitiam vel prae impossibilitate non ostendunt nec proferunt, tunc interdum venae cerebri et colli ac pectoris eorum prae contrarietate ista erumpunt et franguntur et per aditum et per iter, quo odores ad nares portantur, efferuntur. Sed et quidam sunt, qui aut cum vanis et variis cogitationibus occupantur, quas tamen perficere non possunt, aut cum vaga et dissoluta mente de loco in locum vagantur aut cum inconsuetis moribus aut cum resoluta lascivia hac et illac in mente sua proiciuntur et sic quasi in amentiam vertuntur, ita quod nec oculos nec faciem suam recto statu et gestu habere sciunt. Tunc de vagis cogitationibus istis venae cerebri et colli ac pectoris ipsorum erumpunt, ita quod sanguis de naribus eorum, ut praedictum est, effluit, quia vanae cogitationes et vanae mentes illorum praedictas venas attollunt et sanguinem educunt. Et etiam cum homo interdum tam in carne quam in venis supra modum in

sanguine habundat, tunc propter halitum, quem per nares in se trahit et emittit, sanguis in naribus aditum eruptionis facilius invenit quam in alio loco corporis, ita quod venae cerebri et aliae venae, quae ibi vicinae sunt, ob nimiam superfluitatem sanguinis ibi rumpuntur et effluunt. Quidam etiam homines sunt, in quibus sanguis superhabundat, ita quod de superfluitate eius interdum in spissitudinem et in nigredinem vertitur. Sed cum isti interius bonas et sanas vires habent, hae superfluum et superhabundantem sanguinem in naribus eiciunt, ita quod de hac effusione cerebrum eorum purgatur et visus acuitur atque vires ipsorum in eis ad sanitatem reducuntur. Sed alii homines sunt, quorum sanguinem magnae febres et magnus ardor, qui in ipsis est, interdum ita movent, ut vinum, quod in utre movetur, et sic sanguinem in naribus educunt. Et de hac sanguinis effusione cerebrum aliquantum evacuatur et oculi caligant et vires in homine illo debilitantur.

De coryza. Cum cerebrum hominis sanum et purum aliquando est, tunc etiam interdum turbines aeris et ceterorum elementorum ad cerebrum exsurgunt, qui diversos humores in ipsum trahunt et ab eo extrahunt et nebulosum fumum in via narium et gutturis eius parant, ita quod ibi nocivus livor contrahitur ut fumus nebulosae aquae. Et livor iste ibi etiam contrahit infirmitatem debilium humorum, ita quod ibi cum dolore per nares et per guttur expurgantur, quemadmodum ulcera, quae iam matura sunt, per ruptiones suas livores, qui in ipsis sunt, emittunt, et sicut etiam nullus cibus coqui potest, quin sordes, quae in eo sunt, per spumam purgationis eiciat. Et sic facit anima in corpore hominis, cum omnes humores corporis in oculis, in auribus, in naribus, in ore et in digestione secundum naturam suam per ignem animae excoquuntur, ut cibus igne excoquitur, cum spumam eicit. Cum autem interdum homo novum et incognitum cibum comedit et novum et incognitum vinum aut alium novum potum bibit, tunc de novis humoribus illis alii humores

in eo moventur et liquefacti per purgationem de naribus effluunt, sicut etiam novum vinum in vas fusum sordes et faeces se purgando eicit. Quod si quis homo huiusmodi purgationem aliquo modo in se retineret seu prohiberet, ne efflueret, ita se laederet, velut si digestionem vel si urinam in se contineret, ne tempore suo procederent. Sed si alii humores ita superflue illis accedunt, quod ex hoc nimius dolor corporis excrescit, tunc medicinam faciat, ut tanto suavius effluant.

De potionibus. Potiones autem, quae stomachum purgant, non prosunt illis hominibus, qui valde infirmantur et qui hoc modo contriti sunt, quod semper a paralysi fatigantur; nec etiam illis prosunt, qui huiusmodi mobiles humores in se habent, qui secundum inundationem fluminum hac et illac sine ulla stabilitate in eis assidue diffunduntur, quia sumptis potionibus laeduntur magis quam ab eis sanentur. Nam huiusmodi humores cum a stomacho emittuntur, et inter cutem et carnem et in venis frequenter discurrunt nec in stomacho pariter sunt, et ideo cum ab aliquo homine potio in stomachum mittitur, eos ibi ad expellendum non invenit.

De paralysi. Homines, qui de gutta paralysis conteruntur, ut dictum est, et qui de praefatis humoribus fatigantur, prosunt pulveres nobilium et bonarum herbarum et boni ac suaves odores pretiosorum aromatum, quoniam ista noxium fumum, qui a praedictis humoribus procedens malos humores excitat, suavitate sua deprimunt et compescunt et attenuant. Subscriptam autem potionem illi homines sumant, qui nec ad plenum sani nec ad plenum infirmi sunt, et eis sanitatem confert. Sed et illi eam sumant, qui sani sunt, quoniam sanitatem eis retinet, ne infirmentur, et illi, qui a diversis et multis epulis pingues et livosos humores in se habent, quoniam limum ac faecem et tabem humorum illorum aufert, et illi etiam accipiant, qui aliquem cibum sumpserunt, unde in stomacho dolent, quia dolorem illum mitigat et expellit. Qui autem eam sumere voluerit, eam aut in Iunio aut in Iulio, ante-

quam Augustus oriatur, ieiunus absque alio condimento accipiat, et noxios livores a stomacho aufert et eum purgat, ne in Augusto infirmetur. Quod si homo ullum cibum comederit, unde stomachum suum ingravari senserit, ille in Octobre illam sumat. Sed et alias potiones quilibet homo salubrius in praedictis mensibus quam in aliis mensibus sumere potest.

De diaeta. Qui autem sanus esse vult, post naturaliter calidos cibos naturaliter frigidos comedat et post naturaliter frigidos naturaliter calidos sumat et post naturaliter siccos naturaliter humidos et post naturaliter humidos naturaliter ⟨siccos⟩, sive coctos sive non coctos, qui in natura sua aut calidi aut frigidi sunt, ut sic invicem bene temperentur.

De Adae creatione et Evae formatione. Cum ergo deus Adam creavit, Adam dilectionem magnam in sopore habebat, cum deus soporem in ipsum misit. Et deus fecit formam ad dilectionem viri, et sic femina dilectio viri est. Et mox cum femina formata est, virtutem illam creationis deus viro dedit, ut dilectione sua, quae femina est, filios procrecaret. Cum enim Adam inspexit Evam, totus sapientia impletus est, quia matrem, per quam filios procreare debebat, inspexit. Cum autem Eva inspexit Adam, sic eum inspexit, quasi in caelum videret, et ut anima sursum tendit, quae caelestia desiderat, quoniam spes eius erat ad virum. Et ideo una dilectio erit et esse debet viri et feminae et non aliena. Sed dilectio viri ad dilectionem feminae in calore ardoris est velut ignis ardentium montium, qui difficile extingui posset, ad ignem lignorum, qui facile extinguitur; dilectio autem feminae ad dilectionem viri ut suavis calor de sole procedens, qui fructus producit, ad ardentissimum ignem lignorum, quoniam et ipsa suaviter in prole fructus profert. Magna autem dilectio, quae in Adam erat, cum Eva de ipso exivit, et dulcedo soporis illius, qua tunc dormivit, in transgressione eius in contrarium modum dulcedinis versa est. Et ideo, quia vir hanc magnam dulcedinem in se sentit et

habet ut cervus ad fontem, sic ipse velociter ad feminam currit et femina ad ipsum in similitudine horrei areae, quae multis ictibus percutitur et ad calorem perducitur, cum grana in eo excutiuntur.

De concupiscentia. Cum delectatio in homine surgit, ab igne medullae excitatur. Ignis autem medullae diversis modis in homine surgit, scilicet aut de inepta laetitia dissolutionis aut de immoderatis cibis et potibus aut de vanis et superfluis cogitationibus, et ita hominem extra se ducit. Et ignis medullae hominis incendit delectationem, quae gustum peccati habet, et tunc delectatio cum gustu fervorem in sanguine velut tempestatem facit, ita quod sanguis spumam facit et spumam illam similem lacti ad cavernas genitalium in dulcedine ducit, quia iam tunc cocta et matura est, quoniam omnis cibus, postquam coquitur et postquam ad maturitatem perducitur, dulcior est, quam ante coctionem et quam ante maturitatem suam sit. Sed et in loco illo, ubi tota vis venarum est, dulcedinem hanc sentit, quia etiam dulcedo haec de venis, ut praedictum est, procedit, et ut etiam odor et sapor et tota vis vini in uno loco vasis egreditur. Quod si homo interdum cogitationibus in delectatione fatigatur, tunc etiam aliquando absque tactu spumam tantum in genitalibus emittit, velut aqua, quae vento mota spumam de se producit. Si autem solo tactu delectatur, tunc spumam tenuem et turbidam ac semicoctam similem tenui lacti effundit, quoniam alieno igne cocta non est. Nam ut cibus suo naturali igne per se non coquitur, nisi alienus ignis addatur, ita etiam semen hominis non producitur ad plenum coctum, nisi alieno igne adiuvetur. Unde si homo cum alio homine vel cum alia sensibili et viventi creatura in delectatione est, tunc semen igne amborum excoctum et simile pingui et plenae medullae emittit. Et si tunc masculus in ipsa effusione seminis sui cum femina est, semen suum in rectum locum effundit, velut ille, qui coctam escam de olla in scutellam ad comedendum mittit. Si autem cum femina non est, sed cum alia creatura natu-

rae suae contraria, tunc semen suum in iniustum locum turpiter emittit, velut ille, qui coctum cibum ex olla sumens eum super terram fundit. Et hic est limus, de quo homines formantur.

De pollutione. In pollutione autem seminis, quae dormiente homine absque visione somni tantum per naturam hominis contingit, ardor medullae non movetur, unde et ipsa velut aqua, quae modico calore tepida est, emittitur. In pollutione vero, quae operante opere per visionem somni fit, medulla hominis acriter ardet, ita quod eadem pollutio tunc velut fervens aqua educitur, non tamen ad plenum cocta, quia homo tunc non vigilat. Et si homo aliquando in delectatione est ⟨et⟩ commotionem in corpore suo sentit, ita tamen quod genitalis spuma ob hoc de eo non effluit: inde non debilitatur in corpore. Si vero ita in delectatione commovetur, quod spuma haec ad articulum emissionis pervenerit, sed tamen intra in corpore aliquo modo continente retenta fuerit, infirmitatem homo multotiens exinde incurrit, ita quod aut acutam febrem aut tertianas febres aut alias infirmitates inde habebit.

De coniugii tempore in masculo. Masculus autem a quinto decimo anno aetatis suae gustum delectationis in se habet et tunc etiam spumam humani seminis de vanis cogitationibus facile in eo exsudat, sed delectatio et semen eius nondum ad maturitatem in eo pervenerunt. Sed necesse est, cum semen eius adhuc immaturum est, ut ei acerrima custodia adhibeatur, ne ad mulierem seu ad aliam libidinem suam explendam accedat, quod facile ex hoc insipiens et intellectus vacuus erit et scientia in eo deficit et facile insanae et incontinentis naturae fit, quod nondum ad maturitatem illam pervenit, ut maturum semen de eo emittat. Et si masculus fortis in corpore est, tunc in sexto decimo anno aetatis suae ad maturitatem explendae cupiditatis accedit, vel si in corpore debilis est, tunc in septimo decimo anno aetatis suae maturitatem fertilitatis suae adipiscitur. Et deinde plenum intellectum et meliores et stabiliores mores in maturitate sua habet, quam prius

ante maturitatem habuisset. A quinquagesimo autem anno pueriles et instabiles mores homo deserit et stabiles mores apprehendit, et si viridis et fortis naturae est, tunc calor delectationis circa septuagesimum annum ab eo declinat, si vero debilis naturae fuerit, tunc circa sexagesimum annum in illo attenuatur, et ita usque ad octogesimum annum; ab octogesimo autem anno iam in eo extinguitur. Puella a duodecimo aetatis suae anno gustum delectationis in se sentit, et tunc etiam de lascivis cogitationibus spuma delectationis de illa facile exsudat, quamvis eadem delectatio nondum matura ad semen sit. Et cum puella adhuc immatura est, oportet ut diligentissima custodia coerceatur, ne in lasciviam vadat, quod tunc magis quam alio tempore in vagatione mentis dissoluta est. Nam cum adhuc in immatura aetate fertilis non est, si tunc non custoditur, ut praedictum est, sensus honestatis et pudoris atque bonam scientiam prae immatura delectatione et libertate facile perdit, ita quod etiam propter malam consuetudinem postmodum mores pecorum magis quam hominum imitatur. In quinto decimo autem anno aetatis illius, si viridis et humidae naturae fuerit, delectatio in ea iam matura et fertilis est, vel si debilis et infirmae naturae est, tunc in sexto decimo anno ad maturitatem fertilitatis pervenit, ac deinde maturum et plenum intellectum habet et ad stabiliores mores accedit, quam prius fecisset. Sed et circa quinquagesimum aetatis suae annum puellares mores et gestus instabilitatis abicit et compositum ac stabilem tenorem in moribus suis deinde tenet. Si autem humidae et viridis ac fortis naturae est, tunc circa septuagesimum annum delectatio carnis in ea attenuatur, si autem tenuem et infirmam naturam habuerit, tunc circa sexagesimum annum ab ea declinat et circa octogesimum annum eam deserit, quemadmodum etiam de masculo praedictum est. Qui autem semen suum in libidine ut asini excutiunt, rubeos oculos et pellem oculorum spissam exinde contrahunt, et exinde etiam aliquantum in oculis caligant. Qui vero moderate et cum disciplina

hoc opus faciunt, non multum exinde in oculis per caliginem laeduntur.

De medulla. Medulla autem in ossibus hominis firmamentum est totius corporis eius, et ipsa medulla aliquantum spišsa est et non inundans ac tantae fortitudinis et roboris in ossibus hominis ut cor in reliquo corpore, atque ardentissimo ardore ardet, ita quod calor eius super calorem ignis est, quoniam ignis extingui potest, ignis vero medullae non extinguetur, quamdiu homo vivit; sed calore et sudore suo ossa pertransit et tam ossa quam totum corpus hominis confortat.

De tribus medullae viribus. Nam calor ignis in medulla est ut ignis in lapide et tres vires in se habet. Una vi sanguinem incendit, ut fluat; alia diverso modo sanguinem tam a viro quam a muliere interdum educit; tertia ardentem et dulcem gustum et sudantem ac ardentem ventum suavissimi amoris geniturae producit.

De incontinentia. Et iste ardens ventus interdum in otioso et nulla sollicitudine occupato homine surgit et in pectus eius flat et hominem illum aliquantum laetum facit et ita de pectore eius in cerebrum ascendit et illud totum ac venas eius ardente calore implet, atque tunc etiam pulmonem et cor tangit et sic ad genitalia loca vadit, in viro in lumbos, in muliere in umbilicum. Et tunc scientia hominis sic obdormit per ignorantiam.

De suggestione. Sed et tunc etiam suggestio diaboli in tyrannide tempestatis se his adiunget, et homo ille ad libidinem exardescit verecundiae oblitus. Sed et cum sol oritur, aer et ros ei in ministerio occurrunt, ita quod aer illi aliquam frigiditatem et ros aliquam humiditatem subministrat, per quae in calore ignis sui temperatur, sic quod calidus, frigidus et humidus ad omnem utilitatem fructuum terrae descendit.

De medullae temperie. Sicut sol terrae calorem affert, ita et medulla hominis toto corpori calorem tribuit, sed validus ventus de stomacho velut aer exiens ignem medullae aliquantum infrigidat, et humiditas de vesica velut ros

procedens ignem irrorando humectat, ita quod ipse ignis rectam temperiem corpori hominis dat, et quod etiam tunc frigiditate et humiditate temperatur. Sed quemadmodum terrores tempestatum et grandinum aerem conturbant, ita quod in ministerio suo rectam frigiditatem soli non ministrat nec sol illi rectum calorem, sic etiam diversi cibi aliquando stomachum irretiunt, ita quod ipse ab eis commotus iustam refrigerationem calori medullae non potest immittere, unde eandem medullam in procellas et in tumorem potius commovet quam in temperiem.

De crapula. Nam cum homo diversas carnes et supra modum calidos ac alios delicatos cibos indifferenter et inordinate comedit, succus eorum succum medullae illius in contrariam tempestatem excitat, ita quod in delectationem surgit. Et ideo homo, qui carnes comedere vult, eas moderate et simplici condimento coctas comedat et non nimis calidas nec nimis deliciose diversis fultionibus et condimentis paratas et irretitas, quia succus earum aliquantulum quandam societatem ad succum carnis hominis habet et delectationem medullae eius facile incutit, quemadmodum etiam squalidus et aridus ventus vires roris imminuit, ita quod aptam humiditatem calori solis subministrare non valet; sic etiam forte et pretiosum vinum vim vesicae hominis torret, ita quod ipsa rectam viriditatem medullae eius afferre non poterit.

De vino. Nam vinum est sanguis terrae et est in terra ut sanguis in homine et velut quandam societatem cum sanguine hominis habet et ideo etiam velut velocissimam rotam calorem suum ex vesica ad medullam ducit et eam in ardentissimum ardorem evertit, ita quod et eadem medulla fervorem delectationis sanguini tunc tribuit. Unde homo, qui pretiosum et forte vinum bibere vult, illud aqua misceat, ut fortitudo et calor eius aliquantum debilitetur et temperetur; et etiam vinum illud, quod dicitur Hunonicum, aqua temperet, quatinus aqua amaritudinem et acerbitatem illius suavem faciat et deliniat, quod, sicut sanguis aridus est et non fluit absque humiditate aquae,

sic etiam vinum absque admixtione aquae bibitum hominem torret et laedit ac ei sanitatem corporis minuit et delectationem carnis infert. Et omnis cibus et potus honeste et temperate et moderate sumatur, ne homo diversis humoribus, qui in illis sunt, debilitetur et ne natura eius in contrarietate delectationis modum suum excedat, quod, sicut terra ad fertilitatem fructuum laeditur, si eam sol sine temperie aeris et roris immoderate perurit, ita etiam homo ad sanitatem corporis laeditur et ad delectationem carnis excitatur, si ardorem ciborum et potuum immoderate in se traxerit. Et si sanus est corpore, in cibo et potu se observet, ut praedictum est, quatinus sanus permaneat; si autem debilis est, esu carnium moderate et discrete recreetur, sed tamen nullum vinum bibat, nisi aqua permixtum.

De cogitatione. Sed praefatus ardens ventus, qui ad delectationem carnis ex medulla hominis surgit, vanas cogitationes etiam interdum advocat et producit, cum homo cogitat, quid sit et unde sit et quis gustus ille sit, quem in transgressione praecepti dei per pomum sibi Adam contraxit, aut cum aliquid videt aut audit, unde delectatio ei occurrit. Tunc etiam per diabolicam suggestionem cogitationes istae quasi nutum faciendo sibi ex medulla attrahunt praedictum ardentem ventum delectationis, ita quod ille surgit et pectus transit ac cerebrum tangit atque iecur et cor transfigit et in genitalia membra cadit, ut praedictum est. Et sic illis contingit, qui delectationem suam cupiunt opere explere.

De nocturna oppressione. Multotiens autem cum homo dormit, sanguis, qui in eo est, de igne medullae eius fortiter ardet, et sic de calore sanguinis aqua, quae in sanguine est, exsiccatur. Et tunc etiam diabolica ars, quae est in prima suggestione primae coagulationis, cum homo concipitur, se aliquando permissione dei sursum erigit et tempestatem circa hominem facit pavorem ei in somnis incutiendo, se videlicet per oppressionem fantasiae ostendendo velut ibi sit; et tamen ibi non est, quia si ibi esset, homo durare non posset; sicut etiam tonitrua faciunt, cum

horribiles sonitus emittunt, per quos hominibus terrores incutiunt, ita quod exterriti pavescunt. Sed tamen ibi pleniter non sunt, sed in novissimo die totas virtutes suas in plenitudine ostendunt, cum omnia terrena concutiunt.

De somniis. Ita et diabolus facit, cum quasi in nebuloso turbine se ostendit et hominem tam diu torquet, usque dum anima eius de prophetia somniorum ad se revertitur et excutitur nesciens, quid terroris passa sit. Isti terrores facile omnibus hominibus accidunt, cum dormiunt, exceptis illis, qui valde securae et valde laetae naturae ⟨sunt⟩. Et his dormientibus terrores isti raro eveniunt, quia magna et honesta laetitia, quam habent naturaliter in se, non potest esse absque gustu boni spiritus, et ipsi etiam ex natura sua mansueti sunt et non fallaces nec dolosi in moribus suis.

De complexione. Sed alii quidam homines sunt, [qui sanguinei dicuntur,] in quorum sanguine melancolia multotiens surgit, quae sanguinem illum nigrum facit et quae aquam, quae in illo est, aridam parat, ita quod ex hoc homines tam vigilantes quam dormientes saepe graviter fatigantur.

De Adae casu et melancolia. Nam cum Adam bonum scivit et pomum comedendo malum facit, in vicissitudine mutationis illius melancolia in eo surrexit, quae sine suggestione diaboli non est in homine tam vigilante quam dormiente, quia tristitia et desperatio ex melancolia ascendunt, quas Adam in transgressione sua habuit. Cum enim Adam divinum praeceptum praevaricatus est, in ipso momento melancolia in sanguine eius coagulata est, ut splendor recedit, cum lumen extinguitur, et ut stuppa ardens et fumigans foetendo remanet. Et sic factum est in Adam, quia cum splendor in eo extinctus est, melancolia in sanguine eius coagulata est, de qua tristitia et desperatio in eo surrexerunt, quoniam diabolus in casu Adae melancoliam in ipso conflavit, quae hominem aliquando dubium et incredulum parat. Sed quod forma hominis ligata est, ita quod se sursum supra modum elevare non

potest, ideo timet deum et tristis est, ac sic multotiens in tristitia illa desperat diffidens, ut deus eum observet. Et quoniam homo ad imaginem dei formatus est, non potest omittere, quin deum timeat, et ideo grave est diabolo cum homine conversari, qui illi resistit, quod homo deum tamen plus timet quam diabolus, ita quod homo spem in deum habet, diabolus autem nullam ad ipsum tenet. Sed et suggestio diaboli multotiens in hanc melancoliam se intorquet et hominem tristem et desperantem facit, ita quod multi huiusmodi homines in desperatione se suffocant et conterunt, multi autem in hoc malo sibi ita resistunt, quod velut martyres in hac pugna sunt.

De mentis oppressione. Et diabolus sic fatigat hominem tam vigilantem quam dormientem atque interdum eum dormientem hoc modo fatigat, quod putat, quod ipsum aliquid premat.

De diaboli odio. Quoniam diabolus virtutem hominis odit, ideo etiam omnes reliquas creaturas, quae virtuosae sunt in pecoribus et in herbis, et quae mundae et quae utiles sunt, odio habet. Qui ergo a diabolico fantasmate in die ac in nocte vigilando aut dormiendo fatigatur, medicamen a deo inde datum quaerat. Sed cum homo in laetitia aut in tristitia aut in mansuetudine aut in ira aut in aliis his moribus est, tunc diu in his manere non potest, sed ad alios mores et motus eum declinare oportet. Et cum inter duas mutationes est, ita quod unum deserit et aliud incipit, anima hanc mutationem naturaliter sentit et quasi taedium habet, quod tot mutationes incipit, et facit, velut a corpore secedere velit, scilicet ut tunc facit, cum moriente corpore egreditur os hominis aperiendo, cum ita oscitat.

De oscitatione. Et cum homo tunc alias mutationes aut alia opera strenue inceperit, anima iterum a taedio mutationis huius quiescit. Sed et cum alius homo in taedio est et hanc oscitationem in homine isto videt, tunc anima eius naturaliter facit, velut cum illa corpus suum *deserere* velit, cum os corporis eius oscitando aperit.

De membrorum extensione. Cum autem malae febres in homine sunt et cum mali humores in eo inundare incipiunt, gravitas corporis et taedium mentis eum occupat, et hoc anima naturaliter sentiens aliquantum de his mutationibus velut taedio affecta corpore cedit et ipsum corpus et venas eius aliquantum subrigit et extendit, velut tunc facit, cum de corpore exire debet.

De litargia. Mali quoque humores in quibusdam hominibus interdum fumum faciunt, qui usque ad cerebrum eorum ascendit et illud ita inficit, quod ex hoc stulti et obliviosi ac sensu vacui fiunt.

De singultu. Dolor etiam, qui dicitur singultus, nascitur de frigore stomachi, et frigus illud circa iecur flectitur et circa pulmonem tenditur, ita quod etiam vires cordis moventur; quemadmodum homo de frigore tremit, et quod dentes hominis tremendo strident; et ita homo cum sonitu vocis suae singultum habet.

De melancolia et psalmo. Multotiens etiam melancolia in homine exsurgit et quendam fumigantem fumum in eo diffundit, qui venas et sanguinem et carnem illius tam diu contrahit, usque dum per corpus illius se diffundere desistit, scilicet usque dum cessat. Sed et saepius evenit, quod fel in homine superhabundat, ita quod etiam per corpus hominis se interdum in superfluitate sua diffundit; et ita homo in carne suo quasi fixuras pungentes tam diu patitur, quousque superfluitas fellis sedatur.

De felle et poena Adae. Antequam Adam divinum praeceptum transgrederetur, quod modo fel in homine est, in eo ut cristallus lucebat et gustum bonorum operum in se habebat; et quod nunc etiam melancolia est in homine, in eo ut aurora fulgebat et scientiam et perfectionem bonorum operum in se habebat. Cum autem Adam transgressus est, splendor innocentiae in eo obscuratus est, et oculi eius, qui prius caelestia videbant, extincti sunt, et fel immutatum est in amaritudinem et melancolia in nigredinem impietatis, atque totus in alium modum mutatus est. Et sic anima eius tristitiam contraxit et excussa-

tionem mox in ira quaesivit. Nam de tristitia ira oritur, unde etiam a primo parente homines tristitiam et iram et quaeque sibi nociva contraxerunt.

De tristitia et ira. Cum autem anima hominis sibi et corpori suo aliquid adversi senserit, cor et iecur et venae eorum contrahit, et ita circa cor velut nebula exsurgit et cor obnubilat, et sic homo tristatur; post tristitiam vero ira exsurgit. Nam cum interdum aliquid viderit vel audierit vel cogitaverit, de quo tristitiam habet, tunc etiam aliquando nebula tristitiae, quae cor eius occupavit, calidum fumum in omnibus humoribus et circa fel eius parat et fel movet, et sic ira de amoritudine fellis silenter exsurgit. Et cum homo iram non perficit, sed cum eam silenter tolerat, fel cessat. Quod si ira non cessaverit, tunc fumus iste ad melancoliam se extendens illam excitat, et illa de se nigerrimam nebulam emittit, quae ad fel transiens ab illo amarissimum fumum extorquet, et ita cum eodem fumo ad cerebrum hominis transiens ** eum in capite primum insanire pariter faciunt et tunc ad ventrem eius descendunt et venas illius ac interiora ventris concutiunt et hominem velut in amentiam vertunt. Et sic homo quasi se ipsum ignorans iram perficit. Nam homo de ira magis furit quam de alia infirmitate insaniae. Et homo multotiens ab ira quasdam graves infirmitates contrahit, quod cum contrarii humores de felle et de melancolia saepius in homine excitantur, illum aliquando infirmum faciunt, quoniam si homo amaritudine fellis et nigredine melancoliae careret, semper sanus esset.

Unde fel et melancolia crescant. Ille autem homo, in quo fel maiores vires habet quam melancolia, iram in se facile domat; in quo autem melancolia maiores vires habet quam fel, iracundus est et facile irascitur. Et quemadmodum acetum forte et acerbum de bono vino fit, sic etiam fel de bonis et suavibus escis crescit et de malis decrescit; melancolia autem de bonis et suavibus cibis decrescit, de malis vero et de amaris et de immundis et de *male paratis* cibis et de diversis humoribus diversarum

infirmitatum crescit. Qui autem in facie rubet, cum irascitur, huius sanguis de felle fervet et ita ad faciem ducitur, et iste repente et valde in iram movetur, sed ira eius cito compescitur, ut aliquis magnus fervor, qui cito cadit, et ex hac ira non multum laeditur nec in corpore arescit. Et saepe se non vindicans absque vindicta pertransit. Sed qui in facie pallet, cum in iram movetur, huius ira talis est, quod in ipso melancolia excitatur, quae quidem sanguinem eius non movet, sed humores illius paulatim conturbat, ita quod homo ex hoc infrigidatur, et quod vires eius infringuntur et mollescunt, et sic in facie pallet iram tegens. Sed interim mala voluntas acerbae ultionis in eo surgit, quae ita perdurat, quod se non valet abstinere, quin iram suam vindicet.

De suspiriis. Et isti multotiens ab ira sua in corpore languent et arescunt, anima vero scientiam et intellectum habet. Unde cum cogitat, unde sit et quid sit, suspiria introrsum trahit, homine ignorante, unde suspiria illa sint. Cum autem interdum aut contumeliam aut molestiam aut aliud aliquid adversi corpus suum passurum senserit nec hoc prohibere se posse intellexerit, alta suspiria introrsum trahit.

De lacrimis. Et ita de humoribus illis, qui in homine sunt, velut amarus fumus per tristitiam egrediens circa cor spargitur, qui tabem, scilicet aquam de sanguine cordis et de sanguine aliarum venarum, cum excussione gemituum superat ac eam sic sursum per venas ducendo ad venulas cerebri quasi fumando mittit et per illas ad oculos ducit, quia et oculi quandam cognationem ad aquam habent. Et ita aqua illa ex oculis fluit et hoc lacrimae sunt. Nam aqua lacrimarum hoc modo de sanguine hominis per suspiria gemituum extrahitur, velut semen hominis ex medulla et de sanguine eius educitur. Lacrimae autem de tristitia abortae velut in amaro fumo sursum ad oculos ascendunt, ut praedictum est, et sanguinem hominis arefaciunt et carnem macerant et hominem ut mali cibi laedunt atque caliginem oculis inferunt. Quae

vero de laetitia oriuntur, leniores sunt quam illae, quae de tristitia insurgunt. Cum enim anima per tristitiam et per intellectum se aliquando recognoscit caelestem esse, sed hic in mundo peregrinam, et cum ei corpus in bono consentit, ita quod in sanctis operibus unum sunt, tunc absque nebula et absque turbine fumi cum suspiriis gaudii et laetitiae per praedictas venas suaviter lacrimas ad oculos mittit et eas ut suavem fontem educit. Et hae lacrimae cor hominis non conterunt nec sanguinem eius arefaciunt nec carnem macerant nec oculis caliginem inferunt.

De paenitentia. Si quis paenitendo peccata sua deflet, hae lacrimae tristitia et laetitia permixtae sunt et tantum oppressa mente sine fumo educuntur; sed aliquantum sanguinem arefaciunt ac carnem macerant et caliginem oculis aliquantum inducunt, quod oppressa mente procedunt, usque dum per emendationem in eis laetitia oriatur. Qui autem de pingui natura sunt nati, pingues venas et molle cor habent et facile plorant et facile laetantur. Qui vero de arida natura nati sunt, durum cor ut callos habent, quae reliquae carni durior est, et raro et vix plorant et acres in mentibus suis sunt. Lacrimae autem, quae cum suspiriis ad oculos trahuntur, si ab oculis non emittuntur, tunc ad humores, qui in corpore hominis sunt, revertuntur et eos acerbos et aceto similes parant et pectus aridum faciunt. Sed tamen ipsae ad oculos pervenientes et non effluentes sed interius in homine retentae oculos non multum laedunt, quod ab eis non effluunt.

De Adae prudentia. Adam quoque ante praevaricationem angelicum carnem et omne genus musicorum sciebat et vocem habebat sonantem, ut vox monochordi sonat. In praevaricatione autem illius de astutia serpentis intorsit se in medullam et in femur eius quidam ventus, qui etiam nunc in omni homine est. Et de vento illo splen hominis impinguescit, et inepta laetitia et risus atque cachinni in homine excutiuntur.

De cachinno et risu. Nam sicut in praevaricatione Adae sancta et casta natura prolem gignendi in alium

modum delectationis carnis mutata est, ita etiam et vox superiorum gaudiorum, quam idem Adam habebat, in contrarium modum risus et cachinnorum versa est. Inepta enim laetitia et risus velut quandam societatem ad delectationem carnis habent, et ideo ventus ille, qui risum suscitat, de medulla hominis exiens femur eius et interiora concutit. Ac interdum prae nimia concussione risus aquam lacrimarum de sanguine venarum oculis hoc modo educit, quemadmodum etiam spuma seminis hominis aliquando de sanguine venarum per ardorem delectationis excutitur.

De laetitia et risu. Cum enim scientia animae hominis nihil tristitiae et nihil adversi et nihil mali in homine sentit, tunc cor eiusdem hominis ad laetitiam se aperit, ut flores ad calorem solis se aperiunt, et mox iecur eandem laetitiam recipit ac eam in se retinet, ut stomachus cibum in se continet. Et cum sic homo aut de bonis aut de malis, quae sibi placent, laetatur, tunc praedictus ventus interdum ex medulla exiens femur illius primum tangit et ita splen occupat atque venas eiusdem splenis implet et se ad cor extendit et iecur replet ac ita hominem ridere facit atque vocem eius similem voci pecorum in cachinnis educit. Homo autem ille, qui cogitationibus suis velut ventus hac et illac facile proicitur, splen aliquantum crassum habet et ideo facile laetatur et facile ridet. Sed et quemadmodum tristitia et ira hominem debilitat et aridum facit, sic etiam immensus risus splen vulnerat et stomachum fatigat et in motione sua humores iniuste discurrere facit.

De pinguedine. Si quis homo carnes et alias escas supra modum pingues aut ullos cibos supra modum sanguine impinguatos comedit, potius ex eis infirmitatem quam sanitatem incurrit, quod isti cibi supra modum impinguati ad rectam et ad salubrem digestionem prae nimia et lubrica humiditate, quae in ipsis est, in stomacho hominis remanere non possunt. Et ideo homo recte temperatas in pinguedine carnes et recte temperatos in sanguine cibos

edat, ut eos usque ad bonam et rectam digestionem retinere possit.

De hominis ariditate. Si aliquis homo multum aridus in corpore et in membris suis est, tunc modice pingues carnes et modice impinguatos sanguine cibos interdum comedat, ut ariditas et siccitas, quae in ipso sunt, aliquantum humectentur et temperentur. Nam carnes animalium comestae carnem hominis impinguant et vinum sanguinem hominis augmentat magis quam alii cibi aut quam alii potus.

De vino. Terra autem, quae in frumento fertilis est, si vinum gignit, hoc infirmis hominibus ad bibendum sanabilius est quam vinum, quod in fructifera terra nascitur, scilicet quae modicum frumenti gignit, etiam si istud pretiosius illo est. Vinum enim sanat et laetificat hominem bono calore et magna virtute sua.

De cerevisia. Cerevisia autem carnes hominis incrassat et pulchrum colorem faciei eius praestat propter fortitudinem et bonum succum frumenti. Aqua vero hominem debilitat et livorem circa pulmonem eius, si infirmus est, aliquando parat, quoniam aqua debilis est et fortem virtutem non habet. Sed si homo sanus est, si tunc interdum aquam bibit, ei non oberit.

De ebrietate. Cum autem homo supra modum et sine mensura vinum vel alium liquorem, unde inebriari potest, bibit, totus sanguis eius liquefit atque in venis ipsius hac et illac inordinate discurrit et diffunditur, ita quod etiam totus intellectus et sensus hominis illius confunditur, velut flumina de nimia inundatione imbrium effluunt et praecipitanter inundant. Et quia in homine illo humanus intellectus sine mensura confusus est, bona scientia in eo ad bona tendit, ita quod homo tunc multotiens quasi sancta verba inordinate et indiscrete per ignorantiam loquitur et quod etiam mala scientia in eo ad mala tendit, ita quod etiam turpia et mala verba absque pudore ignoranter profert, quia magis insanum et indomitum intellectum hinc habet quam rectum sensum, quoniam rationalitas tunc in *eo suffocata* et submersa est.

De vomitu. Cum homo immoderate frigidos cibos sumit et tunc mox calidos, ita tamen, quod frigidi calidos exsuperant, aut si humidos immoderate sumit, ita quod humidi siccos supra modum excedunt, tunc de diversitate procellarum harum in stomacho saepe homo vomitum patitur, cum sic digestionem habere non potest, et ideo homo cibos in frigore et calore recte temperatos sumat, ne se ipsum per vomitum laedat. Qui autem de aliqua infirmitate vomitum patiuntur et propter inordinatam comestionem, isti interius in stomacho frigidi sunt, ita quod calorem in se non habent, ut cibi in eis ad digestionem coqui possint, et tunc semicocti cibi sursum ascendunt, cum ad secessum descendere non valent. Et sic homo multas infirmitates per vomitum patitur. Quod autem aliquis homo se ipsum ad vomitum provocet vel quod aliquod condimentum sumat, unde vomitum provocet, hoc ei salubre et sanum non est, quia vomitus sic provocatus venas et sanguinem eius extorqueret et in iniustum modum deduceret, ita quod etiam idem vomitus rectum iter exeundi non haberet et ita homo saepe laederetur. Ideo homo vomitum in se non provocet, qui sanitati eius inutilis est, quoniam vomitus, qui per se in homine exsurgit non provocatus, melior est illo, quem homo aliquo condimento in se provocat.

De indigestione. Sed cum humores aut de infirmitate aut de infirmis et non sanis cibis moventur, ita quod calor ad frigus se coniungit et frigus ad calorem et humiditas ad siccitatem et siccitas ad humiditatem, tunc ipsi interdum indigestos cibos et potus expellunt et extrudunt. Et si huiusmodi infirmi cibi expelluntur, hoc bonum est homini ad sanitatem. Si autem cibi boni sunt, tunc obest homini ad corporis sanitatem, si expelluntur, quod venae bono succo eorundem ciborum evacuantur. Et cum etiam mali humores superhabundant in homine, tunc aliquando parant in eo nebulosum fumum, qui nec calidus nec frigidus <est>. Et hic in viscera et circa stomachum et per totum orpus illius diffunditur et ceteras pestes, quae in

eo sunt, commovet atque ipsius cibum, quem sumit, nec recto et naturali introitu permittit stomachum intrare nec recto et naturali exitu exire, sed facit eum fluctuantem et turbulentum, velut putei et plateae, atque vitalem et naturalem aerem in eo attenuat, et ideo etiam cibus ad rectam et naturalem digestionem in ipso excoqui non potest, unde etiam semicoctus et quasi tenuis fluxus ab ipso egreditur.

De dissinteria. Quaedam autem gracillimae venae et sanguineae cuteculam, scilicet membranam, in qua cerebrum hominis reconditum est, circumdant, et hae infixae sunt aliis maioribus venis, quae ad cor et ad iecur et ad pulmonem et ad stomachum atque ad universa eius intestina descendunt, et sanguinem ita maioribus venis illis subministrant, velut quidam parvi rivuli, qui aquas suas ad maiora flumina deferunt. Maiores autem illae venae sunt quasi magna flumina, quae fluenta sua per provincias ducunt, et ut canales, qui in aedificia aquam portant et ibi effundunt. Cum ergo mali humores in aliquo homine superhabundaverint et reliquas febres, quae in illo sunt, in commotionem dederint, tunc velut quandam et incongruam inundationem in eo parant, quae quendam spissum et malum fumum fumigantem ad cerebrum illius surgere facit et quae venulas illas, quae cerebrum circumdant, omnes in contrarium modum fluctuationis vertit. Tunc sanguis, qui in ipsis est, supra modum effluens maiores venas, quibus ipsae, ut praedictum est, infixae sunt, omnes movet, ita quod et illae in contrariam inundationem effluunt et quod sanguinem suum per totum corpus diffundunt et ad intestina et ad digestionem emittunt. Et sic sanguis ille intestinis et visceribus ac digestioni permixtus digestionem sanguineam facit, ita quod etiam ipse sanguis cum digestione egreditur.

De aemoptoica. Sed cum mali et concreti ac venenosi humores in homine superhabundaverint, sanguini, qui per venas corporis discurrit, rectum meatum auferunt, et eundem sanguinem vitalia et viscera iniusto itinere intrare cogunt, unde homo ille per excreationem et per nausiam

cum periculo sanguinem evomit et interius arescit. Sed et aliquando mali humores, qui aquosi et tenues sunt, superhabundant in homine et sanguini venarum in recto meatu suo obsistunt et sanguinem sine egestione ciborum per posteriora transire faciunt et eundem hominem periculo substernunt ac eum in ariditatem vitae ducunt. Si autem per posteriora cum egressione ciborum egressi fuerint, eundem hominem multotiens purgant et sanitati restituunt. Quidam vero homines tantam amaritudinem cordis et cogitationum in se habent, quod eadem amaritudo splen constringit et arefacit, unde et bonus succus, qui splen vegetare deberet, ad pulmonem per iniusta intinera transit et ibi quandam concretionem cum sanguine parat, et ita homo ille multotiens cum periculo sanguinem excreat et evomit. Sed alii homines sunt, qui triste et maerens cor saepe habent, et eadem tristitia interiores venulas, quae sanguinem per corpus ferunt, constringit, ita quod aliqua eorum permodicum vulneratur. Unde et illa guttas sanguinis ad interiora paulatim fundit, et ita homo ille aliquando sanguinem evomit, sed postquam idem lenitatem et laetitiam mentis receperit, eadem venula ad sanitatem redit, et ita homo ille a vomitu sanguinis cessat.

De abstinentia indiscreta. Cum vero quidam homines supra modum in cibis abstinentes sunt, ita quod iustam et congruentem refectionem ciborum corpori suo non tribuunt, et cum etiam alii instabiles et leves in moribus suis sunt et alii multis et magnis languoribus occupati, tunc aliquando contingit, quod velut tempestates in corporibus illorum oriuntur, cum elementa, quae in eis sunt, in contrarium modum vertuntur. Nam cum ignis et aqua in praedictis hominibus sibi invicem repugnant, saepe contingit, ut in aliqua compagine membrorum vel in alia aliqua parte corporis sibi repugnantes occurrant et ibi pustulam cum tumore carnis exsurgere faciant. Et haec pustula trium generum est.

De apostematibus. Nam quaedam est velut nigra, q de nimia fortitudine ignis inturgescit et periculum ho

infert ac mortem minatur velut irruptio nubium, quae illa dirumpit et ad nihilum ducit, supra quae ceciderit. — Et quaedam velut grisea est de tempestate praedictorum elementorum quasi fulgurantium et incongruam pluviam emittentium in homine orta, quae quidem corpori laesionem infert, sed tamen illud omnino non interficit, sicut grando, quae frugibus laesionem facit sed radices earum non eicit. — Sed et quaedam velut alba est de multa inundatione eorundem elementorum quasi supra modum crescentium fluminum in homine exsurgens, quae etiam corpori debilitatem infert, sed tamen illud per omnia non conterit, velut repentina inundatio et effusio fluviorum, quae aliqua quidem loca <et> aliquas fruges superemanant, sed ea per totum non anferunt. Pustula autem illa, quae nigra est, periculosa est et fere incurabilis, grisea vero vel alba aliquantum leniores nigra sunt et curari possunt.

De tumore. A diversis quoque humoribus tam bonis quam malis caro et venae hominis ingrossescunt, velut a fermento farina elevatur et intumescit. Sed humores, qui a corde, a iecore, a pulmone, a stomacho et a ceteris interioribus procedunt, cum aliquando in iniustam diversitatem et superfluitatem vertuntur, tunc etiam interdum tenaces et lubrici et tepidi fiunt. Et si tunc in homine remanent, eum in infirmitatem ducunt. Si autem extra eum erumpunt, saniorem eum reddunt.

De ulcere. Quod si in unum locum vel in plura loca in homine ceciderint, ita quod ibi ulcus unum aut plura fecerint, tunc homo permittat ea ad maturitatem pervenire, ut effluant, ne, si intus remanserint, gravius doleat. Et postquam humores in maturitate ibi effluxerint, tunc homo ille medicinam cum unguentis adhibeat.

De scabie. Si vero mali humores in scabie per totum corpus hominis erumperint, tunc iterum ad maturitatem et ad emanationem eorum aliquamdiu exspectet et usque dum cutis inter ulcera rubedinem habere incipiat et *exsiccari*, et tunc convenientibus unguentis ungat, ne

si tunc diutius exspectaverit, cutis in maiorem dolorem ulcerum et putredinis vertatur.

De ictericia. Pestis, quae dicitur ictericia, de superfluitate fellis nascitur, quod de infirmis humoribus et de febribus ac de magna et frequenti ira fel effluit. Et effusionem hanc fellis iecur et cetera viscera excipiunt, et ipsa etiam effusio totam carnem hominis ita pertransit, velut acutum acetum novum vas transfundit et hominem laedit. Ac sic per contrarium colorem suum in homine cognoscitur.

De exercitio et animae taedio. Sicut corpus hominis absque opere non est nec omittit, quin semper aliquod operetur, sic etiam anima in homine ex natura sua hoc officium habet, quod diverso opere corporis taedio affecta se interdum a cursu suo subducit, quasi dormitet; velut molendinum multa inundatione aliqua parte sui fractum aliquando a labore sistitur. Et sic anima interim in quiete silentii est, usque dum corpus aliqua verecundia vel aliquibus terroribus coercetur et opprimitur. Et tunc iterum ita vires suas et cursum suum recipit et resurgit. Et tunc homini illi est, quasi novus sit et quasi novos mores habeat.

De ira. Nam aliqui homines ex natura sua iracundi sunt. Et cum anima istorum in ipsis taedio affecta interim in quiete silentii est, tunc illis ex ira sua interdum aliquis defectus accidit, unde corpus ipsorum opprimitur; et ita anima vires suas recipit et resurgit. Sed et etiam cum in aliis hominibus animae taedio affectae interim in quiete silentii sunt, saepe contingit, ut corpora hominum illorum aliqua molestia opprimantur, unde et ipsae animae excitatae priores vires recipiant et ad se redeant. Sunt et alii homines, in quibus, cum animae eorum in ipsis prae labore et taedio oppressae silent, aliqua impatientia vel dubitatione corpora ipsorum constringuntur, et sic animae, quae in ipsis iam dormitabant, excitatae ad pristinas vires resurgunt. Sunt quoque quidam homines, qui ex complexione sua saepius in ira exardescunt.

De insania et <epi>lensia. Et ira, quae in ipsis est, totum sanguinem eorum in sanguineam et in magnam inundationem saepe movet, et sic de inundatione ista quasi quidam fumus et humor cerebrum eorum tangit et eos insanire facit, ita quod etiam scientiam ipsorum minuit. Et cum isti aliquando in iram moventur et quibusdam saecularibus angustiis aggravantur, hoc diabolus videns etiam flatu suggestionis suae eos terret; unde anima, quae in ipsis est, fatigata succumbit et se subtrahit, ac sic corpus deficiendo cadit atque ita in defectum iacet, usque dum anima iterum resumptis viribus exsurgit. Et isti, qui hoc malo fatigantur, iracundum visum et faciem et iracundum motum habent. Et cum in terram cadunt, aliquando vocem extra naturalem vocem emittunt. Et iste praefatus morbus rarius ostenditur et difficile compesci potest.

De epilepsia. Sed alii sunt alterius generis eiusdem morbi, ita quod inconstantes et leves in moribus suis sunt et impatientes, quorum anima, dum in ipsis supra modum his moribus fatigatur, se multotiens subtrahit et succumbit, et ita corpus velut viribus animae subtractis in terram cadit ac sic quasi mortuum iacet, usque dum iterum anima vires suas recipit. Isti autem blandam faciem et lenes gestus habent, et dum a morbo isto deiecti in terram cadunt, interdum aliquam vocem, sed tamen lugubrem et naturalem, emittunt et multam spumam de ore eiciunt, sed tamen facile curari possunt.

De hydropisi. Qui autem ex natura sua pingues in corpore non sunt, sed macilenti et tristes et magnis ac multis cogitationibus occupati, tunc tristitia, quae in ipsis est, sanguinem eorum exsiccat, et magnae ac multae cogitationes, quae etiam in eis sunt, flegma, quod in ipsis est, supra modum diminuunt, et hoc modo aqua in eis supercrescit et regnat. Cum enim sanguis et flegma in homine exaruerint, tunc faeces digestionis suae ad vesicam in urina emittunt, et deinde, cum vesica calorem ex sanguine et flegmate non habet, urinam excoquere non potest, et ideo

iam crudam et non coctam non de recto loco itineris sui emittit, sed inter cutem et carnem extra naturam diffundit.

De inflatione. Nam cum in hominibus istis sanguis fugatur et flegma diminuitur, aqua inter cutem et carnem irruptiones suas facit et totum corpus inflat. Et quia sanguis eorum in ipsis aridus est et flegma exsiccatum, semper sitim habent, quoniam quidquid biberint nec ⟨ad⟩ sanguinem nec ad flegma vertitur, sed ad intercutaneam aquam. Et cum in homine illo aqua in cute lucet, ei medicina succurrendum est, quia si tunc diutius exspectatur, in tepidum humorem vertitur atque sanguineum colorem acquirit, qui tabe permixtus est, et ita homo periclitatur. Quidam vero homines, qui temperata corpora habent, ita quod in carne nec nimis pingues nec nimis macri sunt, temperatos etiam humores saepius in se habent et raro ab illo <malo>, quod dicitur *vich*, fatigantur, quia humores, de quibus hoc malum nascitur, in eis non superhabundant.

De tortionibus. Qui enim aut nimis pingues aut nimis macri sunt, malis humoribus saepe habundant, quoniam rectam institutionem et temperantiam in se non habent; unde aliquando de corde, de iecore, de pulmone, de stomacho et de visceribus eorum mali humores exsurgunt, qui ad melancoliam tendunt ac eam fumigare faciunt atque ita pessimum livorem in homine parant, velut etiam litus aliquando in stante et non fluente aqua putridus pulvis supercrescit et supernatat. Et livor iste aut iuxta stomachum aut iuxta viscera vel in alium locum inter cutem et carnem cadit et ibi manet et hominem illum multa acerbitate torquet, velut eum ibi mordendo comedat. Sed tamen vitalem spiritum non habet ad mordendum hominem, sed tantum quandam acerbam amaritudinem; et velut oculi in eo apparent, atque in carne hominis iacet ut lens in carne. Aliquando etiam in longum extenditur, aliquando etiam in globositatem, ut vitellus ovi est, contrahitur atque interdum quandam spumam emittit, quae per totum corpus se diffundendo hominem dolere facit.

De vermibus. Sed et cum eadem spuma stomachum aliquando pertransit, in eo quasdam vermes ebullire facit atque quosdam acerrimos et macros pediculos in carne interdum crescere facit. Et ubi idem livor in corpore hominis iacet, ibi etiam aliquando ex praedicta spuma gracillimi vermiculi, qui tarmi dicuntur, crescunt, velut quidam vermiculi in aqua illa interdum nascuntur, quae in uno loco stat et non fluit. Et si tunc vermiculi isti in homine illo remanserint, ita quod ab eo non exierint, eum multum laedunt.

De lumbricis. De noxiis quoque et malis humoribus, qui in homine venenosi sunt et qui ut livor in homine se contrahunt et qui in nocivam longitudinem ut tepidum et putridum vinum vertuntur, vermes in homine facile nascuntur, sed praecipue in infantibus et in pueris, quod humores eorum in ipsis aliquantum lacte permixti sunt. Sed vermes in homine a consuetudinalibus humoribus non nascuntur nec ab humoribus illis, qui acres sunt ut acetum, vel si tamen in hominibus istis, qui consuetudinales mores in se habent, aliquo modo crescere inceperint, cito deficient. Quod si huiusmodi vermes in aliquo homine excreverint, eum debilem faciunt.

De pediculis. Quidam autem homines sunt gracilia ossa et membra et graciles venas habentes, sed pingues et sanas carnes et bene temperatas, ita quod nec nimis clausae nec nimis apertae sunt; et plenam et bene in calore temperatam medullam tenent et ideo etiam plenum animum et potentem, sed aliquantulum in vanitate lascivum habent, et molles et delicati sunt. Et quia plenam medullam habent, ideo etiam spissam sed gracilem et albam ac sanam arvinam sine pediculis habent. Sed tamen dum eadem arvina interdum sudorem emittit, sudor ille paucos pediculos in cute exterius facit et nutrit. Sed et alii homines sunt, qui grossa ossa et grossa membra atque grossas venas habent sed macram et non multum ardentem medullam, et ideo propter debilitatem medullae imprudentiores sunt ed edaciores et saepe esurientes, sed et per

modicam horam fortiter laborare possunt, sed in labore durare non possunt, quoniam caro eorum aliquantum aperta est et quasi tepida et venae eorum largius constrictae sunt. Et quoniam macram medullam habent, arvina eorum tanto tenuior et debilior est. Qui cum interdum sudant, sudor ille cito carnes hominis illius pertransit, quia aliquantum apertae sunt, ac ita plurimos pediculos in carne parat, qui extra hominem illum immoderate ebulliunt. Et ideo homines isti non multum debiles sunt et aliquamdiu vivere possunt. Alii etiam homines sunt, ⟨qui⟩ grossa ossa et membra et grossas venas habent et spissam ac pinguem medullam, ita quod ossa eorum sunt plena ardentis medullae, ac ideo de spissitudine et pinguedine ac de plenitudine medullae prudentes et probi sunt, et caro eorum fortis et aliquantulum dura et clausa, quia venis strictis constringitur. Nam ut rete sibi invicem complexum est, sic etiam venae sibi invicem per totum corpus hominis complexae sunt. Et quoniam caro eorum aliquantulum fortis et dura est, modicum et tenuem sudorem emittunt, quia grossae et fortes venae carnes illorum ita constringunt, quod parcius sudorem emittunt. Tunc ex habundantia et calore medullae et ex habundantia humorum, qui in illis sunt, quia erumpere non possunt, arvina, quae in eis est, aliquantulum in ruborem sanguinis vertitur et infirma est et non sana, ita quod plurimi pediculi in ea crescunt, qui de carnibus illorum exire non possunt, sed in arvina illa remanent et eam ubique perforant et comedunt. Unde homines illi multum interius in corpore dolent nescientes, unde doleant, et tardi sunt in nullo delectati ac modicum comedunt et saepe deficiunt in corde et in viribus suis atque pallidum colorem in facie habent; qui color tamen plus viridis quam cerosus apparet. Et hi diu vivere non possunt, sed cito moriuntur, quia arvina eorum, ita ut praefatum est, a pediculis interius laeditur.

De calculo. Homo autem, qui in perfecta aetate est et molles carnes atque humidas in corpore suo habet et insuper diversis cibis et delicatis semper utitur atque vo-

busto et bono vino, facile calculum sibi attrahit. Nam de praedictis cibis et potibus, cum etiam caro eius mollis et humida sit, quasi faex in loco illo, ubi urina effluere debet, coagulatur et in calculum durescit, sed tamen de calore et fortitudine urinae aliquantum tener est, dum adhuc infra hominem est, et ideo ille paulatim et modicam urinam quamvis cum difficultate emittit. Si enim calculus infra hominem durus esset, homo cito periret. Sic est in muliere quam in viro, urina autem viri fortior est quam mulieris, sed tamen vir maiorem dolorem patitur quam mulier. Quod autem pueri aut infantes de calculo stringuntur, hoc de malo et pravo lacte nutricum est, quo nutriti sunt vel nutriuntur. Nam cum nutrix infirma est vel cum diversis cibis et potibus et forti vino frequenter utitur, inde lac rectum saporem amittit et quasi foetidum erit, et tunc lac istud foetidam coagulationem in loco effusionis urinae in puero vel in infanti facit et ita in calculum durescit.

De gula. Homines autem, qui sani sunt et robusti, ita etiam quod eorum nervi fortes sunt et quod sunt ebriosi et gulosi studentes carnibus et aliis delicatis cibis et potibus, horum sanguis in cerosum colorem vertitur et deinde spissitudinem acquirit. Et quia prae spissitudine rectum meatum habere non potest, quod etiam nec febribus nec debilitate eorundem hominum, quoniam sani sunt, attenuatur, carnes et cutes eorum pertransit et noxio humore inficit et quasi sordidas facit atque ulceribus replet.

De ulceribus leprae. Sed et pauperes, qui sani sunt corpore et eandem naturam gulositatis habent, sed tamen delicatos cibos et potus assidue habere non possunt, tribus vel duabus septimanis aut una praedictam infirmitatem sibi attrahere possunt, cum eosdem cibos et potus, quos habent, inordinate per gulam sumunt. Sic etiam de iuvenibus et pueris intelligi potest. Nam de carnibus et diverso lacte et de forti vino haec infirmitas saepe crescit, *non autem* de pane nec de oleribus nec de cerevisia.

De lepra. Sed et alii homines sunt spissam materiam carnis corporis habentes, qui iracundi sunt, et ira eorum commovet sanguinem, qui in ipsis est, ita quod circa iecur eorum cadit, et duritia ac sanguis eiusdem iecoris huic sanguini se commiscet, ac sic per totum corpus hominis se diffundit et carnem ac cutem eius confundit, ita quod cutis illius scinditur et quod nares eius grossescunt et scindendo intumescunt. Sunt et alii quidam homines de libidine incontinentes, ita quod nec continentiam habent nec eam habere quaerunt, unde sanguis eorum saepe et inordinate concutitur, velut olla ad ignem posita, quae nec ex toto fervet nec ex toto frigida est, et sic sordes in se retinet, quia tantas vires in se non habet, quod eas eiciat. Et cum homines isti sic in libidine ardent, ita quod sanguis eorum frequenter inordinate concutitur, ita quod nec rectus sanguis est nec recta aqua nec recta spuma, tunc in pravum livorem et in tabem vertitur, et sic carnem et cutem hominis corrumpit et in ulcera evertit.

De leprae signis. Infirmitates autem istae sic discernuntur. Lepra, quae ex gula et ebrietate est, rubeos tumores et rubeas ebullitiones emittit similes dragunculae. Et quae de iecore est, scissiones et nigredines in cute et in carne hominis facit ad ossa. Sed quae de libidine est, latas superficies ulcerum parat, velut cortices, et sub eis carnem rubeam. Et duae priores difficile sanari possunt, tertia vero facile emendatur.

De gutta. Homines, qui molles et perforatas carnes habent et forti vino in superfluis potationibus insudant, saepe de peste, quae dicitur gutta, concutiuntur. Nam qui molles carnes habent, de nimiis potationibus mali humores, qui in eis sunt, in aliquod membrum eorum repente cadunt et illud dissipant, velut ignita iacula et velut magnae et repentinae inundationes, quae interdum molendina et alia quaedam sibi proxima aedificia dissipant. Sic et isti humores membra illa, super quae cadunt, dirumperent, si eos nec gratia dei nec vitalis spiritus, qui in homine

est, prohibet. Sed tamen quaedam membra dirumpunt et quaedam etiam velut mortua inutilia faciunt.

De nervorum contractione. Saepe contingit, quod tempestates et procellae malorum humorum in aliquod membrum hominis cadunt et ibi insania sua meatum sanguinis venarum eius claudunt, ita quod ille ibi in venis inundare non potest, unde et venae illae arescunt, quod meatu sanguinis carent. Et sic homo ille claudicare incipit. Et quia homo ab elementis factus est, ab elementis etiam sustentatur et in eis ac cum eis conversatur.

De febribus. Unde etiam diversos febres a diversis qualitatibus aeris et ceterorum elementorum in se habet, scilicet a calore, a frigore et ab humore, quae eum non deiciunt nec ei detrimentum faciunt, sed quae potius ei sanitatem inferunt, cum et pectus et stomachum atque omnia interiora viscera eius per sudorem et per urinam purgant, cum modum suum non excedunt, cum et qualitas aeris rectum modum in temperie servat. Sed et cum nimius et inconsuetus ardor aeris surrexerit, tunc aliquando febres istae supra modum inardescentes in acutam febrem in quibusdam hominibus vertuntur, in nimio autem frigore aeris ita frigiditate constringuntur, quod tertianam febrem excitant; in humida vero qualitate aeris, quae et aquosa et foetida est, multotiens in tam livosam coagulationem vertuntur, quod ex illa quartanam febrem quibusdam hominibus inferunt. Homines autem, qui corpore sani sunt, ita quod mobiles humores, scilicet qui hac et illac moveri possunt, in se non habent, in intemperata qualitate aeris aliquando infirmantur, cum recte temperata et tranquilla qualitate aeris sani sunt. Quod si isti acutam febrem aliquando habuerint, tunc si gratia dei voluerit, ut convalescant, ad quintam vel ad septimam diem cum dolore sudorem eiciunt et cito convalescunt, quia prius etiam sani in corpore fuerunt.

De paralysi. Qui vero mobiles humores in se habent, videlicet quod nullam stabilitatem rectitudinis nec in calore nec in frigore nec in humiditate tenent, sed qui hac et

illac secundum instabilem qualitatem aeris in corporibus hominum proiciuntur, ut quaedam flumina et undae aquarum, quae multa loca devastant, et ut glacies, quae nec ad perfectum congelata sed quae fragilis est: hi paralysi, id est gutta, ab humoribus istis fatigantur. Et si etiam aliquando acutam febrem habuerint, ita quod etiam per gratiam dei vita eorum protrahetur, tunc multotiens, antequam sudorem cum dolore eiciant, aut ad vicesimam aut ad tricesimam vel eo amplius diem in dolore iacebunt, quod etiam prius frequenter debiles et infirmi furunt. Cum enim aliquis homo de laboribus et angustiis ac de diversis qualitatibus ciborum et potuum ⟨infirmatur⟩, ita quod etiam de diversis qualitatibus ciborum et potuum diversi humores et livores in eo coadunantur, tunc anima in eo his diversitatibus quassata et fatigata succumbit, ita quod vitales motus suos aliquantum subtrahit.

De febribus et creticis diebus. Et sic nocivi humores, qui in homine sunt, commoventur et febres accrescunt, quia anima vitales motus suos contraxit. Tunc et sanguis in homine decrescit atque viscera et alia interiora eius arescunt. Et calor, qui in iecore et in reliquis interioribus esse debuit ad vitam, ad exteriorem cutem ascendit, et frigus interius in homine permanet interius. Et sic anima iacet oppressa in corpore exspectans in dubio, utrum exitura sit corpus an in eo permansura, et hoc saepissime usque ad septem dies facit, quoniam de humoribus et livoribus illis se nondum excutere potuit. Quae dum senserit, quod tempestates humorum illorum per gratiam dei aliquantum cessare incipiunt, tunc intelligit, quod se de ipsis excutere potest, et ita vires suas ad se colligit atque humores et livores illos de eodem corpore per sudorem expellit. Et sic homo ille sanitatem recipit. Multotiens autem contingit, quod anima prae nimio ardore et frigore eorundem humorum eos cum sudore pleniter expellere non potest, et sic etiam aut laetitia aut tristitia aut ira aut angustiis hominis illius cum timore concussa *se subtrahit et iterum* ita in silentio manet et aliquando

etiam usque ad tertiam vel quintam vel septimam vel tricesimam lucem vel ad plures vel ad pauciores dies, ut praedictum est, dum iterum sentiat, quod per gratiam dei vires ad refocillandum corpus recipere possit. Et si homo ille ad sanitatem corporis perventurus est, tunc postea lenius dolebit, quam prius fecisset, quoniam humores, qui in eo prius fuerunt, per priorem sudorem aliquantum modo minorati sunt. Quod si anima tantis humoribus et livoribus irretita est, quod eos de corpore hominis illius excutere non valet, ita quod nec gratiam dei sibi ad hoc adesse senserit, victa succumbit et per iudicium dei corpus deserit.

De acuta. Cum ergo homo acutam habet, humores, qui in eo sunt, in multum fervorem ardoris mutati sunt, et fervor eorundem humorum hominem illum comedere non permittit. Sed prae nimia siccitate, quae in ipso est, eum ad bibendum compellit, unde aquam bibat, ut lenius doleat. Postquam autem acuta febris hominem invaserit, non est ei salubre, ut medicinam accipiat ad depellendum eam, quod ipsum tunc usque ad sudorem pleniter non dimittit. Sed pro accepta medicina tanto diutius in eo latet et eum tanto diutius infirmari facit, quoniam noxii humores ab illo aperte et, ut iuste debent, expulsi non sunt. Febres autem interdum aut de superfluis cibis et potibus oriuntur aut de nimia dormitione aut de taedio et otiositate, cum homo non operatur.

De febribus interpolatis. Cotidiana etenim febris de superfluitate aquae, scilicet flegmatis, quod est spumae, oritur et de debilibus cibis et de superfluitate potus vini. Febris autem, quae secunda die hominem fatigat, de superfluitate et de debilitate aeris, quod est humidi, nascitur. Tertiana vero de superfluitate sicci, quod est ignis, crescit, sed quartana de superfluitate melancoliae surgit. Sed et homo, qui molles carnes in corpore suo habet, ita quod etiam spuma, quae tenax et tepida ac debilis est, in eo superhabundat, facile vermes in carne sua contrahit. Nam quod caro eius mollis est et spuma in eo debilis et tenax,

pustulae in eo facile ebulliunt, in quibus vermis facile nascitur et hominem laedit.

De diaeta. Nunc autem sicut caseo, qui in vasculo suo premitur, coagulatio lactis semper superadditur, quousque perficiatur, sic etiam infanti et puero cibus et potus assidue subministrandus est, usque dum ad perfectam aetatem perducatur; alioquin infans et puer crescere non possent, sed perirent. Sed et seni ac decrepito cibus et potus adhibendus est, quod cum sanguis et caro in illo minuitur, his cibariis sublevandus est. Homo enim est ut terra. Si terra nimiam humiditatem habuerit, inde laesionem incurrit; si autem modica vel nulla humiditate tacta fuerit, ei ad prosperitatem non valebit. Quod si discretam humiditatem habuerit, bonum ei est. Sic est in homine. Si homo multam et nimiam ac fluentem humiditatem in se patitur, scilicet in oculis, in auribus, in naribus, in ore, inde magis laeditur quam sanetur. Si autem modicam vel nullam effluentem humiditatem in his membris habuerit, periculosum est ei; si vero discretam humiditatem habuerit, ad sanitatem illi est.

III.

[1]*De praedictis autem infirmitatibus subscriptae medicinae a deo monstratae aut hominem liberabunt aut ipse morietur aut deus eum liberari non vult.*

De capillorum casu. Cum adolescenti homini iam primum crines cadere incipiunt, ⟨accipiat⟩ de arvina ursi et modicum favillarum de triticeo aut de siligineo stramine factarum, et haec simul commisceat et deinde cum isto totum caput suum inungat et ibi praecipue, ubi crines in capite suo effluere incipiunt. Postea diu abstineat se, ne caput suum ab ista unctione lavet. Et crines eius, qui nondum ceciderunt, per unctionem istam ita humectantur et confortantur, quod per longa tempora non cadent. Et

---

1) v. 22—24 = p. 184,33—185,2.

sic saepe faciat et a lavatione capitis sui se abstineat. Nam calor arvinae ursi naturae huius est, quod plurimos crines producere solet, et favillae de triticeo aut de siligineo stramine crines confortant, ne cito cadant. Et cum haec sibi contemperantur, ut praedictum est, crines hominis tanto diutius retinent, ne cadant.

De capitis dolore ex melancolia. Si diversis febribus melancolia tacta cerebrum hominis dolere facit, ille malvam accipiat et bis tantum salviae et ad succum in mortario tundat et haec modico *boumoleo* aspergat, vel si oleum hoc non habuerit, aceto ea modice aspergat, et sic a fronte per verticem usque ad occiput suum ponat et panno insimul liget et hoc per triduum faciat. Ac in his tribus diebus circa noctem aut *boumoleo* aut aceto renovabit et insuper sic faciat, usque dum melius habeat. Nam succus malvae melancoliam dissolvit, succus autem salviae eam exsiccat, *boumoleum* vero caput hoc modo fatigatum unguit, acetum autem acumen melancoliae extrahit. Unde haec simul temperata dolorem hunc capitis mitigant.

De amentia. Si alicui cerebrum infrigidatum est, ita quod inde amens efficitur, accipe baccas lauri et eas in pulverem redige et tunc accipe farinam similae et pulverem istum baccarum ei commisce et sic cum aqua *cnith* et crinibus capitis illius abrasis *deich* istum super totum caput illius pone et desuper cum pilleo de viltro facto constringe, quatinus caput eius interius incalescat, et ut ita obdormiat; et calorem cerebro confert. Sed cum *deich* iste exsiccatur, iterum alium eodem modo para et capiti illius superpone, et sic saepe fac, et ille sensus suos recipiet.

De emigranea. Qui emigraneam patitur, aloe et bis tantum myrrae accipiat et haec in minutissimum pulverem redigat ac deinde farinam similae tollat et his oleum papaveris addat et sic massam, scilicet quasi fermentum, faciat et cum hoc fermento totum caput usque ad aures et usque ad collum tegat pilleo desuper posito et sic per triduum nocte ac die illud super caput suum ponat. Calor enim aloae et siccitas myrrae cum suavitate fari-

nae similae et frigiditate olei papaveris temperatus hunc dolorem capitis sedat, et fermentum hoc modo factum cerebro pinguedinem reddit.

De capitis dolore ex stomachi fumositate. Cum cibus, qui madidum succum habet, hominem in capite dolere facit, ille salviam et origanum ac feniculum aequali pondere accipiat et marrubii plus quam horum omnium sit, et ad succum contritis butyrum sufficienter addat; vel si illud non habuerit, arvina addita ex his unguentum faciat atque cum hoc caput inungat, et melius habebit. Nam salvia et origanum ac marrubium siccae naturae sunt et ideo praedictos succos exsiccant; succus autem feniculi humidus est et hoc siccos succos temperat. Unde ex his et butyro aut arvina, quae sana sunt, unguento facto praefatum dolorem capitis alleviant. † Accipe oleum olivae et modicum minus rosatae aquae et haec in sartagine fac fervere, et interim accipe *nathscaden* bene modicum minus quam olei olivae sit et haec simul in mortario tere et per pannum cola et succum istum in sartagine ad praedictum oleum et ad rosatam aquam funde et fac simul denuo fervere. Quod cum feceris, iterum per pannum cola et in novum vas fictile funde. Deinde dolentem in vertice et in sua *schedelun* et in fronte ac in temporibus cum hoc unguento, quando dolet, unge, atque frontem et tempora eius lineo ligamine cerato circumliga, ne unguentum istud abstergatur.

De capitis dolore ex flegmate. [1])Qui de superfluo flegmate in fronte capitis dolet, pisam albam dentibus masticando terat et hanc tritam purissimo melle contemperet et sic temporibus apponat et ligamine comprimat et sic faciat, usque dum melius habeat. Pisa enim aliquantulum flegmatica est, sed alba in pura et bona terra crescit atque ad succum masticata et temporibus apposita, quoniam venae temporum fortitudinem frontis tenent, acumen doloris huius aufert. Calor quoque mellis, quod de diversis

---

[1]) v. 27—31 = Migne 1132 A.

floribus collectum est, frigus flegmatis temperat, ut praedictum est.

Ea quae sequuntur ad vitium pulmonis spectant.

[1]Accipe *galan* et feniculum aequali pondere et bis tantum de nuce muscata et tantum de *bertram* ut istorum duorum, ita sane ut nux muscata et *bertram* etiam aequalis ponderis sint, et haec pulveriza et tunc simul commisce et de pulvere isto ad pondus duorum nummorum cum tenui buccella panis cotidie ieiunus comede et statim modicum calidi vini bibe et etiam alias nobiles herbas, quae bonum odorem habent, et eas tam ieiunus quam pransus comede frequentèr, ut bonus odor earum ad pulmonem transeat et foetentem halitum compescat. Qui vero quolibet modo in pulmone dolet, pingues carnes devitet et cibum, qui multo sanguine perfusus est, et coctum caseum, quia tabem circa pulmonem faciunt. Sed et pisam et lentem et cruda poma et cruda olera non comedat et nuces et oleum devitet; quod si carnes comedere vult, macras comedat, et si caseum comedit, non coctum nec crudum, sed aridum edat, et si oleum comedere voluerit, modice comedat, aquam vero non bibat, quia circa pulmonem livorem et *slim* parat. Sed et novum et crudum mustum, quod nondum in fervore ebulliendo sordes eiecit, non bibat; cerevisia autem eum non multum laedit, quod cocta est; vinum vero non bibat, ab humida autem et nebulosa aura se observet.

De amentia. [2]Si multis et diversis cogitationibus scientia et sensus cuiuspiam hominis evacuantur, ita quod ille in amentiam vertitur, *hun* accipiat et ter tantum feniculi et in aqua simul coquat et abiectis herbulis istis eandem aquam infrigidatam frequenter bibat. Succus enim *hun* malos humores constringit et retinet, ne modum suum in petulantia excedant, et hominem ad sensus suos reducit; succus autem feniculi ad rectum temperamentum laetitiae eos pertrahit. Et herbulae istae simul temperatae et suavi

---

[1]) v. 4—26 = Migne 1134 A—C. — [2]) v. 27—31 = *Migne 1202 D*—1203 A.

aqua coctae hominem ad intellectum suum redire faciunt. [1])Homo autem idem aridos cibos devitet, quoniam humores, qui in eo destituti sunt, in maiorem ariditatem amentiae ducerent; bonos vero et delicatos cibos comedat, qui ei bonum succum in sanguine subministrant et qui humores suos ad rectitudinem suam reducunt et sensus eiusdem hominis ab amentia evertunt. Sed et pultes similae aut butyro aut sagimine, non autem oleo factas comedat, quod inanitum cerebrum replent et infrigidatum calefaciunt; oleum autem flegma attraheret, et ideo illud devitet; et vinum non bibat, quod dissipatos humores in eo magis et magis dissiparet; nec etiam medonem bibat, quoniam fortitudo mellis eosdem destitutos humores in eo magis destrueret. Sed nec aquam simplicem bibat, quod sensus ipsius in maiorem inanitatem deduceret. Praedictum autem potum et cerevisiam bibat, quae destitutos humores et sensus ipsius in rectitudinem continent et furorem amentiae ab ipso evertunt. Caput autem suum pilleo aut de viltro aut de pura lana facto operiat, quatinus a destitutis humoribus infrigidatum cerebrum leniter et paulatim incalescat, non autem repente nec supra modum, ne pro repentino et nimio calore deterius habeat. † Accipe nucem muscatam et bis tantum de *galan* et haec in pulverem redige et etiam accipe radicem *suerthelum* et radicem plantaginis aequali pondere, ita tamen, quod pondus istorum duorum sit minus quam ponderis nucis muscatae, ⟨et⟩ modice tunde sale addito. Et ex his omnibus cum farina similae et cum aqua tenuem sobriunculam fac et da dolenti ad sorbendum.

De oculorum attenuatione. [2])Si sanguis et aqua in oculis hominis aut prae senectute aut prae aliqua infirmitate supra modum attenuantur, vadat ad viride gramen et illud tam diu inspiciat, dum oculi eius velut lacrimando madefiant, quia viriditas graminis illius hoc, quod in oculis eius turbidum est, aufert et eos puros et lucidos facit.

---

[1]) v. 2—21 = Migne 1203 A. — [2]) v. 30—32 = Migne 1211 A.

[1])Sed et ad flumen vadat aut novam aquam in aliquod vas fundat et desuper inclinans humorem eiusdem aquae oculis excipiat, et sic humor ille aquam oculorum suorum, quae iam in ipsis arescit, excitat et eos lucidos facit. Lineum quoque pannum accipiat et illum in pura et frigida aqua intinguat ac eum sic temporibus et oculis suis circumponens ligat, cavens, ne oculos interius tangat, ne ab aqua exulcerentur. Ideo autem lineo panno, quod suave est, oculos madefacies et frigida aqua, quatinus aqua oculorum per aquam istam ad visum resuscitetur. Quia enim oculi ignei sunt, de igne pellicula oculorum exspissatur, et cum aqua, ut praedictum est, tangitur, eadem pellicula per frigiditatem et humiditatem aquae attenuatur.

De oculis griseis. [2])Cum aliquis griseos oculos habens in eis aliquo modo caligat et dolet, cum dolor ille adhuc recens est, feniculum vel semen eius accipiat et terat et sic sumat succum eius et rorem, quem super recto gramine invenerit, et modicum farinulae similae et haec ut tortellum commisceat atque in nocte oculis suis superponat et panno liget, et melius habebit. Suavis enim calor feniculi cum rore et fortitudine similae temperatus dolores hos aufert. Nam grisei oculi de aere sunt, et ideo ros his temperamentis additur.

De oculis igneis. [3])Si homo, qui igneos oculos habet, in eis caligat et dolet, succum violae accipiat et bis tantum de succo rosarum et succi feniculi secundum tertiam partem rosarum, et his modicum vini addat, et cum dormitum vadat, collyrium hoc circa oculos suos ungat, <cavens,> ne forte propter fortitudinem eius laedantur. Sed si tamen oculos interius modice tetigerit, non multum inde laeduntur. Nam quod oculi isti de igne sunt, cum suave frigus violae et suave frigus rosarum cum suavitate feniculi et calore vini temperantur, quoniam omnia haec in aestate vigent et de suavi calore crescunt, caliginem et dolorem

---

[1]) v. 1—13 = Migne 1211 B. — [2]) v. 14—20 = Migne *1157* A—B. — [3]) v. 24—28 = Migne 1169 D.

eorundem oculorum fugat. Viola enim de calido vento primum procedit, unde et praedictis temperamentis hos oculos sanat.

De oculis diversi coloris. Qui oculos habet similes nubi, in qua iris apparet, et in eis caliginem aut alium dolorem patitur, caliminum accipiat et puro ac albo vino imponat et ad noctem, cum dormitum vadit, calimino ablato eodem vino cilia oculorum suorum exterius illiniat, praecavens, ne oculos interius tangat, ne acumine calimini laedantur et maiorem caliginem incurrant. Nam caliminum aequaliter calorem et frigus in se habet et sic cum calore vini temperatum pravos humores, qui oculos laedunt, aufert. Si autem oculos interius tetigerit, eos laedit, quod nec calor frigus eius in se superat nec frigus calorem, et ideo acumen ipsius oculos exulceraret et caliginem eis induceret, si eos interius tangeret. Nam caliminum nec calorem nec frigus aliud in se superans temperatum, ut praedictum est, oculos istos sanat.

Dc oculis turbulentis. [1]Si aliquis oculos similes turbidae nubi ⟨habet⟩, quae nec ad plenum ignea nec ad plenum turbida est, sed aliquantum glauca, et in eis caliginem et dolorem sustinet, feniculum, si in aestate est, terat, vel si in hieme est, semen eius, et tritum claro ovi bene despumato imponat, et cum dormitum se collocat, ita oculis superponat, et suavis calor feniculi cum frigore clari ovi temperatus caliginem et dolorem eorundem oculorum minuit. Feniculum quippe cum claro ovi, quod aliquantum lividum est, temperatum oculis istis de livida humiditate terrae contractis salubre remedium affert.

De oculis nigris. [2]Qui nigros seu turbulentos oculos habet, ut aliquando nubes est, et in eis aliquo modo caligat et dolet, succum ruthae accipiat et bis tantum puri liquoris mellis et modicum boni et clari vini his commisceat, ac sic micam triticei panis his imponat atque super oculos suos in nocte cum panno liget. Quia enim oculi

---

[1]) v. 19—27 = Migne 1157 B. — [2]) v. 30—35 = Migne 1155 C.

isti de terra sunt, calor ruthae et calor mellis cum calore vini, qui succum suum de terra traxit, eis prosunt, cum mica panis ipsis imponitur, quae etiam vires suas de terra habet.

De oculorum albugine. [1]Si quis albuginem in oculis patitur, cum eadem albugo recens est, recens fel bovis accipiat et ita recenter oculis suis in nocte superponat et ligamine panni liget, ne labatur, et sic per triduum faciat, quod amaritudo eiusdem fellis dolorem hunc scindit et aufert. Sed tamen modice faciat, ne inde laedatur, si supra modum hoc fecerit. Post triduum autem fenugraecum sumat et rosato oleo immittat, et ita oculis superponat, quoniam hoc suavius est, et panno liget, quia etiam suavis frigiditas fenugraeci cum suavi temperamento rosati olei eandem albuginem cum praefato felle scissam suavius aufert.

De oculorum lacrimis. Si quis humentes oculos, quasi lacrimentur, habet, folium de ficu, quod nocte rore perfusum est, tollat, cum illud sol in ramusculo suo iam calefecit, et ita calidum oculis suis ad compescendum humorem superponat, usque dum in eo modice incalescat. Quod si folium ficus non habuerit, folium de *erlen* accipiat et item nocturno rore perfusum ac postea radio solis calefactum oculis suis, ut praedictum est, apponat, et sic non omni die faciat, sed tertia die et semel tantum per diem. Si autem folia haec non habuerit, [2]gummi de parsico vel de prino accipiat et testae nucis modice imprimat ac eam sic ad ignitum laterem vel ad ignitam et clausam fornacem modice calefactam oculis circumponat, dum incalescat. Et hoc semper quarta die faciat et semel in die, ne ⟨si⟩ supra ⟨modum⟩ fecerit, madentes oculos plus laedat quam eis succurrat. Nam calor ficus et frigiditas *erlen* naturae huius sunt, quod humiditatem ad se trahunt. Rore autem perfundentur, ut suavitate eius viriditas eorum temperetur, et etiam calore solis, qui succum eorum ad lenitatem trahit, ne oculos laedat. Sed et gummi de

---

1) v. 4—11 = Migne 1323 C. — 2) v. 24—29 = Migne *1222 B—C.*

parsico aut de prino virtutem eorundem lignorum in se habet, et natura sua humiditatem oculorum in se trahit cum calore, quem aut de latere aut de fornace accipit, quia ille lenis et non acer esse debet. Et ita, ut praedictum est, humor oculorum cessabit.

De auditus diminutione. Si de aliquo flegmate aut alio modo infirmitatis auditus hominis confunditur, album thus accipiat et ex eo fumum super vivo carbone faciat et fumum istum in aurem obduratam ascendere permittat, sed tamen raro hoc faciat, ne si supra modum hoc fecerit, inde peius habeat. Nam calidus fumus albi thuris, qui purior fumo alterius thuris est, alieno igne excitatus malum fumum, qui cerebrum et auditum hominis confundit, fugat.

De dentium dolore. [1])Qui de putrido sanguine et de purgatione cerebri in dentibus dolet, absinthium et verbenam aequali pondere accipiat et eas in claro et bono vino in nova olla coquat et vinum illud sic coctum per pannum colet atque modico zuccaro addito vinum istud bibat, sed et herbas istas calidas et, sicut praedictum est, coctas, cum dormitum vadit, maxillae, ubi in dentibus dolet, circumponat et panno desuper liget. Et hoc faciat, dum sanetur. Vinum enim istud cum praedictis herbis temperatum et bibitum venulas, quae se a membrana cerebri ad ginguivas dentium extendunt, interius purgat, et eaedem herbae maxillis circumpositae dolorem dentium exterius mitigant, quia calor absinthii cum calore verbenae et cum calore vini temperatus dolores istos sedat. † [2])Qui in dentibus dolet, cum modico flebotomo aut cum *brema* carnem, quae circa eundem dentem est, id est *zanefleis*, uno vulnere modicum incidat, ut tabes ibidem egrediatur, et melius habebit.

De dentium firmitate. [3])Qui sanos et firmos dentes habere vult, in mane, cum de lecto suo surgit, puram et frigidam aquam in os suum sumat et ita per modicam

---

[1]) v. 14—22 = Migne 1172 D. — [2]) v. 28—31 = p. 122,20-26 = Migne 1193 C. — [3]) v. 32 — p. 174,4 = Migne 1211 B—C.

horam in ore suo teneat, scilicet ut livor, qui circa dentes suos est, emollescat; et sic ipsa aqua, quam in ore tenet, dentes lavet, et hoc saepe faciat, et livor circa dentes amplius non crescet, sed sani permanebunt.

De vermibus in dentibus. Si autem vermis dentes hominis corrodit, ille aloe et myrram aequali pondere accipiat et ea in testeo vase artum foramen in collo habente super vivos carbones de fago factos posito incendat ac fumum illum per angustam harundinem ad dentem, in quo dolet, transire permittat labiis apertis, sed dentibus compressis, ne supra modum idem fumus guttur intret, et hoc aut bis vel ter in dic faciat et per quinque dies sic faciat, et curabitur. Cum enim calor aloae et calor myrrae cum aequo calore et frigiditate ignitorum carbonum excitantur, fortitudo fumi eorum vermes dentium extinguit.

De uvula. Quod si idem fumus guttur tetigerit, fortitudo eius guttur et *ůbun* arescere facit.

De cordis dolore. [1] Si mali humores in visceribus et in splene hominis superhabundaverint et cordi multas passiones per melancoliam intulerint, ille galangae et *bertramum* aequali pondere accipiat et album piper ad quartam partem unius istorum, vel si album piper non habuerit, accipiat *perfrecruth* quater tantum, quantum albi piperis est, et haec in pulverem redigat. Deinde farinam fabae tollat et ei praedictum pulverem addat, atque haec omnia simul cum succo fenugraeci absque aqua et absque vino et absque alio liquore commisceat. Quo facto ex omnibus his tortellos paret et eos ad calorem solis exsiccet; unde in aestate, dum solem habere potest, eos faciat, quatinus in hieme eos habeat. Deinde eosdem tortellos tam pransus quam ieiunus comedat. Nam calor galangae et calor *bertrami* et calor albi piperis seu calor *pefercrut* et calor fabae cum frigiditate fenugraeci temperati et ad sanum calorem solis positi, ut praedictum est, dolorem

---

1) v. 19 — p. 175,4 = Migne 1134 C—1135 A.

cordis mitigat. Postea liquiricium tollat et quinquies plus de feniculo et succer ad pondus liquiricii atque modicum mellis et ex hoc potum, id est *lutirdranc*, faciat et tam pransus quam ieiunus contra dolorem cordis bibat. Calor enim liquiricii et calor feniculi et calor zuccari cum calore mellis temperati livorem, qui cor hominis, ut praedictum est, dolere facit, auferunt. † Accipe ergo album piper et ad eius tertiam partem cuminum atque fenugraecum, quantum medietas cumini pensat, et haec pulveriza et, antequam in corde defectum sentias vel cum ibi dolere inceperis, ipsum pulverem modico pane tam ieiunus quam pransus modice manduca.

De pulmonis dolore. Cum mali et foetidi humores fumum ad cerebrum hominis emittunt, quod eundem fumum ad pulmonem ducit et illum dolere facit, homo ille *lunchwurt* accipiat et eam in aqua coquat et non in vino, quia herba haec cum vino cocta nimis fortis esset, et ita coctam in olla dimittat et per septimanam bibat per pannum colatam. Et cum potus iste defecerit, iterum alium eodem modo coquat. Ieiunus autem per singulos dies eum bibat et postquam comederit, usque dum sanetur. Nam de dolore cordis et calore stomachi pulmo multotiens infirmatur, quia infirmitatem frigiditas herbae huius cum suavitate aquae temperata sedat. † Accipe autem baccas *wakalder* et bis tantum *wullene*, ut baccae *wakalders* sunt, et *bertram* bis tantum, ut *wullene* est, et haec in puro et bono vino coque; quod postquam feceris, ita in olla dimitte et crudum et in modica frusta incisum *alant* impone ac sic per pannum colatum per duas vel tres septimanas ieiunus modice bibe; simili modo et post cibum tuum bibere potes et ita dum saneris. † Accipe quoque *dille* et *libestichel* ter tantum, ut *dille* est, et *heiternezzele* tantum, ut *dille* est, atque cum puro et bono vino coctas et ita in olla dimissas, usque dum saporem suum tenent, per pannum colatas bibere potes et ieiunus et pransus, sed tamen modice et discrete. Set alii homines sunt, qui in *nubilosa et humida* temperie aeris concipiuntur, unde

etiam foetentem et male odorantem halitum et male odorantem sudorem semper habent. Et foetidus halitus eorum atque mali humores, qui in ipsis sunt, usque ad cerebrum eorum pertingunt et illud in infirmitate fatigant, quod multotiens velut in oblivione sui ducuntur. Quod si flegma de capite eiciunt, minus dolent, quod cerebrum eorum purgatur; si vero flegma non eiciunt, gravius in capite torquentur, quoniam cerebrum suum a noxiis humoribus non relevant. Et foetens halitus istorum ad pulmonem transit et eum fatigat, ita quod etiam aliquando raucam vocem habent, sed tamen dolor iste non multum periculosus est, quod cito curari potest.

De epatis duritie. [1]Si quis diversos cibos immoderate et indiscrete sumpserit et sic de diversis humoribus ciborum illorum iecur eius laeditur et indureseit, hic *minner hufladecha* accipiat et bis tantum de radicibus plantaginis et tantum *můs*, quod est circa viscum piri, ut *minner huflathdecha*, et praefatas herbas in modicas et tenues incisiones incidat et incisiones istas subula aut alio minuto instrumento perforet et in foramina ista praedictum *můs* infigat et sic in purum vinum ponat. Sed et pondus nummi accipiat tumorem illum, qui aut in folio aut in ramusculo nuci velut faba aut velut pisa intumuit, et hoc in praedictum vinum mittat, et deinde tam pransus quam ieiunus non coctum sed tantum vino impositum bibat. Calor enim et frigus *minner huflathdecha* inflationem iecori aufert, calor autem plantaginis, ne iecur coaguletur et ne indurescat, prohibet. Sed frigus *můses* visci piri livorem eius minuit, et tumor ille, qui in folio aut in ramusculo nuci est, amaritudine sua pravos humores, qui iecur laedunt, aufert. Et haec non coquantur, sed tantum vino non cocto imponentur, ut tanto suavius ad iecur perveniant. Moretum quoque, qui sic dolet, in potu saepe bibat, quoniam dolor iecoris multotiens de superfluitate sanguinis oritur, quem calor et succus moreti, quod velut

[1] *v.* 13—25 = Migne 1206 B—C.

de genimine sanguinis est, sedat. Cibum etiam, quem comedit, aceto temperatum comedat, quoniam calor et acumen aceti iecur constringit. Sed et triticeum panem illum manducet, quem quidam homines inter discissam et aridam porcinam scapulam carnium aliquando pro delectamento ponunt et vino perfundunt. Nam aridus succus huius scapulae, cum excitatur calore vini et pani superfunditur, idem panis sic temperatus iecur constringit, ne infletur. Sed tamen vinum illud, cum quo hae carnes perfusae sunt, non bibat, quod, quod nocivum in eisdem carnibus fuit, idem vinum pertransivit et in se traxit.

De splenis dolore. [1]) Cum homo aliquando crudum cibum comedit, mali humores eorundem ciborum, quod per nullum condimentum temperati sunt, ad splen interdum ascendunt et illud dolere faciunt, unde idem homo cerifolium accipiat et modicum minus de aneto et cum triticeo pane in aceto velut offas et velut condimentum faciat et sic frequenter comedat. Nam suave frigus cerifolii dolorem splenis, qui et de calidis et frigidis humoribus surgit, purgat et sanat, frigiditas autem aneti splen confortat et triticeus panis splen crescere facit, acetum vero illud acumine suo purgat. Postea etiam semen lini accipiat et illud in sartagine coquat et ita de sartagine ablatum expressa aqua in saccellum fusum loco splenis, quanto calidius pati potest, cum saccello superponat. Nam semen lini calidum et livosum est, et cum illud in suavitate aquae ad vires suas excitatur, calore et humiditate sua splen tangit et sanat.

De stomachi dolore. Cum indigesti cibi in stomacho hominis interdum coagulantur et indurescunt, stomachum dolere faciunt, quapropter ille dactilosam accipiat et ad quartam eius partem abrotanum et quinquefolii minus, quam abrotani sit, et haec ad succum in mortario terat et postea in bono atque puro vino coquat, ita tamen quod vinum hoc succum herbarum istarum duabus parti-

---

[1]) v. 12—25 = Migne 1160 B—C.

bus superet, et deinde per pannum colat et sic in vitreu vas aut in novam ollam refundat. Postea vinum istu sic cum praedictis herbis temperatum in sartaginem fund et ei ignitum calibem aut bis aut ter immittat et sic i idem vinum, interim dum per calibem fervere incipi galangae tritum et modicum piperis imponat, vel si galan gae non habuerit, *bertramum* tritum immittat et ignit calibe calefactum ieiunus bibat. Sed et idem vinum pe quinque dies modice ieiunus bibat ignito tamen calib prius calefactum. Quod cum per quinque dies feceri triticeum panem aut farinam similae accipiat et cum pra fato vino ignito calibe calefacto sobriunculam facia vitello ovi propter bonum saporem addito absque sagimin et absque oleo et iterum per quinque dies haec ieiunu comedat. Quibus transactis iterum praedictum vinum ig nito calibe calefactum bibat, usque dum melius habea Nam dactilosa calore suo stomachum confortat, abrotanu autem calore suo *gich* ab eo compescit, quinquefoliu vero calore suo eum roborat, et calor vini livorem eiu aufert, et fortitudo calibis haec omnia fortissime conforta Deinde calor galangae et calor piperis seu calor *bertram* omnia ista confortat contra dolorem stomachi. Sed triti ceus panis seu farina de triticeo cum praedicto vino sto machum impinguat et ei vires suas, ut praefatum est, cu fortitudine igniti calibis restituit, et hoc absque sagimin et absque oleo fiet, quod sagimen stomachum lubricu parat et oleum illum exulcerat. [1]) Sed et crudum ysopu vino impositum frequenter comedat et idem vinum biba quod ysopum ei utilius est ad infirmitatem istam qua illi, qui in pulmone dolet.

De indigestione. [2]) Si homo comestum cibum inte dum digerere non potest, succum aristologiae longae a pondus duorum nummorum accipiat et succum bibinella ad pondus nummi unius et succum citocaciae ad pondu oboli unius ac zinziber ad pondus oboli unius et deind

[1]) v. 27—30 = Migne 1156 C. — [2]) v. 31 — p. 179,12 = *Migne 1193* A—B.

modicum farinae similae accipiat et cum succis istis tortellos ad latitudinem nummi sed aliquantum spissos faciat et eos ad solem vel in fornace iam fere infrigidata coquat. Et homo ille, qui supra dicto modo infirmatur, si interius calidus est, ita quod cibus in eo exustus est, de his tortellum unum in mane diei ieiunus sumat, vel si interius frigidus est, ita quod comestus cibus in eo prae frigore congelatur et compressus est, duos aut tres tortellos in mane ieiunus accipiat. Et cibus, quem primum postea comedit, ius vel sobriuncula sit, et deinde alios bonos et suaves cibos comedat. Et sic tam diu faciat, dum se in stomacho liberatum sentiat. Nam calor aristologiae longae aliquantum acutus et aliquantum fortis exsistens cum frigiditate bibinellae temperatus pravos humores commovet in homine, et calor zinziberi eos solvit, sed frigiditas citocaciae eos repente educit, farina autem similae confortat stomachum, ne ab his laedatur. Et cum haec omnia ad solem, cuius calor fortis est, vel ad calefactam fornacem, cuius calor sanus est, excoquuntur et dolenti homini, ut praefatum est, dantur, stomachum eius purgant, ut praedictum est. † Accipe zinziber et pulveriza illud et cum modico succo herbae, quae *ringla* dicitur, commisce ac tunc de pulvere isto cum modica farinula fabae fac tortellos et eos in fornace, quae iam a calore ignis aliquantum cessavit, coque et sic tortellos istos tam pransus quam ieiunus comede.

De sifac ruptura. Si in aliquo homine interior pellicula, in qua intestina clausa sunt, aliquo casu scinditur, ille *ebech* accipiat et bis tantum de consolida maiore et herbas in bono vino coquat et postquam eas coxerit, ab eodem vino eas separet et deinde eidem vino modicum pulveris de *zituare* facti immittat et tantum zuccaris, quantum *ebech* fuit, et satis de cocto melle et ita rursum absque praefatis herbis idem vinum modice fervere faciat ac deinde per saccellum velut purum potum collat et post cibum et ad noctem ita bibat et hoc saepe faciat. Cum enim frigiditas *ebech* et frigiditas consolidae ac frigiditas

zituaris sibi coniunguntur, bono frigore et bona virtute sua interiorem pelliculam intestinorum colligunt et consolidant, quod si eaedem herbulae calidae essent, interiorem hanc pelliculam arescere facerent. • Sed suavis calor vini et calor succaris et calor mellis, cum alterato calore excitantur, scissam interiorem pelliculam istam sanant. Sed et praedictas herbulas, quae in praefato vino coctae sunt, idem vir super eundem locum, ubi interior pellicula intestinorum rupta est, calidas liget, et scissuram eius colligunt, ut praefatum est. Radicem quoque consolidae maioris in minuta frusta incidat ac in vinum eadem cruda frusta ponat, quatinus ex eis saporem capiant, et hoc vinum semper bibat, usque dum sanetur, quoniam frigiditas eiusdem consolidae cum calore vini irruptionem illam contrahit.

De renium dolore. [1] Quod homo in renibus et in lumbis interdum dolet, hoc multotiens de infirmitate stomachi fit; tunc idem homo rutham et absinthium aequalis ponderis accipiat atque plus his de arvina ursi et haec simul contundat et deinde cum his circa renes et circa lumbos suos, ubi dolet, iuxta ignem fortiter se inungat. Dolor enim renum et lumborum multotiens ab iniustis humoribus exsurgit. Sed cum calor ruthae et calor absinthii et calor arvinae ursi sibi contemperantur, iniuste frigidos humores istos fugant.

De iliaca. [2] Si malus fumus de stomacho ad ilia hominis extenditur et ibi eundem hominem dolere facit, ille salviam accipiat et quinquies tantum *stichwurz*, ut salviae est, et decies tantum ruthae, ut salviae est, ac herbas istas in nova olla cum aqua usque ad primam ferventem ebullitionem coquat, et deinde expressa aqua easdem herbas ita coctas et calidas super locum, ubi praedicto modo dolet, ponat et panno desuper liget. Nam cum calor salviae et calor *stichwurz* et calor ruthae sibi contemperantur et cum in calefacta aqua excitantur, virtute sua malos humores, de quibus dolor iliorum oritur, fugant.

[1] v. 15—20 = Migne 1155 C. — [2] v. 25—32 = Migne *1154 C—D.*

De lateris dolore. [1]) Accipe *linsamum* et minus *flius* de parsico, ita quod *linsamo* quarta parte *flius* excedat, et in sartagine ut *gluthen* coque. Deinde tolle *birboumes mistel* et in mortario tere ad succum, ita quod de succo plus sit, quam *fliusis* et ** quam succus *birboumes* sit *mistelles*, et haec in sartagine ad praedictum *linsamum* et ad *flius* pone et iterum denuo similiter fac fervere. Quod si medullam cervi non habueris, sepum iuvenis tauri adde eodem pondere, ut medulla cervi esse deberet. Quo facto haec per pannum subula ubique perforatum cola et in novum fictile vas ceratum funde et dolentem in latere, ubi dolet, ad ignem perunge.

De osscei tumore. [2]) Si interdum a malis humoribus in virilibus viri inflatio pessimi tumoris insurgit, quae illum ibi dolere facit, ille feniculum accipiat et ter tantum fenigraeci ac modicum butyri vaccarum et haec simul contundat et desuper ponat, et haec malos humores doloris in virilibus extrahunt. Suavis enim calor feniculi cum frigiditate fenigraeci et cum suavi calore butyri temperatus praefatum dolorem minuit. Nam calor feniculi et frigiditas fenigraeci pravos humores illos minuit, et suavis calor butyri eundem dolorem sanat. Deinde vir tortellos, ex quibus cerevisia fit, accipiat et cum modica calida aqua eos modice madefaciat et sic calefaciat ac super praefatum tumorem ponat. Nam praedicti tortelli in suavitate calidae aquae temperati acuto succo suo pravos humores illos extrahunt et ibi dolentem hominem sanat. [Si quis ergo in virilibus hoc modo dolet, accipiat feniculum et ter tantum fenigraeci ac modicum *kusmalz* et haec simul contundat et desuper ponat, et malos humores extrahit; deinde accipiat *malzkuchin* et eum modica calida aqua modice madefaciat ac desuper ponat.]

De stranguria. [3]) Si quis urinam prae frigidate stomachi retinere non potest, vinum igne calefactum saepe

---

[1]) v. 1—12 = Migne 1202 C. — [2]) v. 13—25 = Migne 1157 D. — [3]) v. 33—p. 182,9 = Migne 1154 D.

bibat et omnes cibos suos aceto commisceat atque acetum, quomodocunque poterit, saepe bibat, et hoc modo in stomacho et in vesica calidus erit. Nam calor vini ad ignem alteratus et ita in potu sumptus stomachum et vesicam calefacit et urinam ad rectam digestionem retinet ac ei rectam digestionem et calorem infert. Sed et salviam in aqua coquat et eandem aquam per pannum colat ac eam ita calidum saepe bibat, et ille urinam retinebit et curabitur. Salvia enim livorem, qui de frigiditate humorum in stomacho et in vesica ortus est, qui etiam ante digestionem urinam expellit, calore suo aufert.

De sterilitate masculi. [1]) Masculus ergo, qui diffluentem naturam seminis habet, ita quod non germinat, hic *hasenzeppun* accipiat et ad eius tertiam partem *ertpeffer*, et quanta pars quarta *ertpefferes* est, tantum de *winda* sumat et aliquantum de alio usitato pipere, atque haec cum iecore iuvenis hirci, qui iam maturus est ad generandum, coquat additis etiam aliquantum crudis et pinguibus porcinis carnibus. Et tunc herbis istis abiectis carnes has comedat et etiam panem in aquam, in qua huiusmodi carnes coctae sunt, intingat et eum manducet et hoc modo praedictas carnes coctas saepe comedat, quatinus de succo earum semen suum fortitudinem germinandi accipiat, si iustum iudicium dei hoc fieri permiserit.

Pro sterilitate feminae. [2])Mulier autem, cuius matrix interius frigida et tenuis est ad concipiendum prolem, hoc modo iuvetur, si deus ita voluerit, ut fecunda fiat. Accipe ergo matricem agnae aut matricem vaccae, quae in hac maturitate sunt, quod gignere possunt, et cum adhuc mundae sunt, ita quod nullo fetu gravatae sunt nec gravatae fuerunt, et eas cum lardo et cum aliis quibusdam pinguibus carnibus et cum sagimine coque et da feminae ad comedendum, cum illa in coniunctione mariti est aut cum marito postmodo cito iungetur. Et huiusmodi carnibus frequenter utatur, et succus matricis praedictorum pe-

---

[1]) v. 12—24 = Migne 1226 A. — [2]) v. 25—p. 183,4 = *Migne 1324 D.*

corum succo matricis eiusdem feminae coniungitur, ita quod inde aliquantum impinguatur et confortatur, et si deus voluerit, tanto facilius concipit, quod multotiens iudicio dei fit, quod virtus generandi hominibus aufertur.

De podagra. Homo, qui in cruribus et in pedibus suis podagram sentit et inde dolet, cum idem dolor recens est, ille plurima cornua vel ventosas cruribus suis circumponat, scilicet a talo incipiens absque incisione cutis, ut humores sibi attrahant, et deinde a loco illo auferat et ea superius ponat, quatinus iterum ibi subteriores humores sibi attrahant. Et sic faciat cutem non incidendo nec rumpendo, usque dum ad nates suos perveniat; postquam autem hoc modo ad nates pervenerit, ligamen in superiori parte genu sibi circumponat, ne humores, quos cornibus illuc contraxit, rursus descendant, et mox in confinio dorsi et posteriorum cum cornibus aut ventosis scarificando sanguinem et malos humores emittat. Sic autem faciat, et dolor podagrae illius cessabit. † Accipe *bertram* et ad tertiam partem ponderis eius de zingiber et modicum piper et haec pulveriza atque ieiunus comede et vinum postea bibe.

De fistula. Si quis fistulam de malis et superfluis humoribus ortam in corpore suo alicubi patitur, purgatorias potiones saepe accipiat, quatinus superhabundantes humores in se minuat. Quod si postea in loco eiusdem doloris cutis contrahitur, velut ibi sanari velit, et iterum deinde per humores scinditur, iterum purgatorias potiones accipiat, ne mali humores in eo superhabundent, et sic saepe faciat, et lenius dolebit. Et [quia] tam fistula quam podagra difficile curari poterunt.

De ulcere. Si ulcus aliquod aut pustula hominem acerbe dolere facit, antequam rumpatur, hic accipiat lineum pannum et nova cera perfundat et desuper oleo olivae inungat et sic super ulcus ponat. Et per hoc ulcus suavius mollificatur et suavius rumpitur et humores extrahuntur et suavius sanatur. Si vero pustula illa est, quae dicitur segena, illi ne superponas, quod periculosa est.

[1])Ubi etiam *trofo* et mali humores rupta cute absque venenato ulcere in aliquo loco corporis humani coadunati effluunt, tunc homo ille accipiat *biboz* et succum eius in mortario terendo exprimat et huic succo mel addat, [et] ita ut succus *bibozes* tertia parte mel illud excedat, et ubi dolet, se liniat. Et etiam statim clarum de albugine ovi factum superliniat et panno desuper liget et hoc tam diu faciat, dum sanetur.

De insomnietate. [2]) Qui autem aliqua contrarietate occupatus dormire non potest, si in aestate est, accipiat feniculum et bis tantum millefolii et in aqua modice coquat atque aqua expressa herbas istas calidas temporibus et fronti ac capiti circumponat et desuper panno liget. Sed et viridem salviam accipiat et eam vino modice aspergat et sic supra cor suum et circa collum suum ponat, et dormitione alleviabitur. Quod si in hieme est, semen feniculi et radicem millefolii in aqua coquat et temporibus ac capiti, ut praedictum est, circumponat atque salviam pulverizatam et in vino modice madefactam super cor et circa collum ponat ac panno desuper ligato confirmet, quod herbas virides in hieme habere non valet, et ut dictum est, ad dormitionem melius habebit. Nam calor feniculi inceptionem somni inducit, calor autem millefolii somnum stabilem facit, et calor salviae cor tardum parat et venas colli deprimit, quatinus somnus accedat. Et hae herbae cum in suavitate calefactae aquae ad calorem suum excitantur, temporibus circumponuntur, ut venas eorum comprimant, et etiam fronti ac capiti apponuntur, quatinus cerebro quietem inferant, sed et semen feniculi et millefolii in aqua coquuntur propter suavitatem eiusdem aquae, pulvis autem salviae vino imponitur, ut ex eo ad remedium istud excitetur.

De aromatibus. [3]) Nunc autem de praedictis infirmitatibus subscriptae medicinae a deo demonstratae aut homi-

---

[1]) v. 1—8 = Migne 1172 A. — [2]) v. 9—22 = Migne 1156 D — 1157 A. — [3]) v. 33 — p. 185,2 = p. 165,22—24.

nem liberabunt aut ipse morietur aut deus eum liberari non vult. Nam diversae et nobiles herbae et pulveres atque condimenta nobilium herbarum inordinate comesta sanis hominibus non proderunt sed potius laesionem eis inferunt, ita quod sanguinem eorum arefaciunt et carnes eorum macerant, quoniam humores illos in eis non inveniunt, in quibus vires suas exercere possunt. Nam in hominibus vires non augent nec carnes eorum crescere faciunt, sed tantum malos humores, quibus adversantur, minuunt. Sed cum ab aliquo sumuntur, hoc discrete et rationabili necessitate fiat, et cum pane vel in vino vel cum alio aliquo condimento ciborum, et raro ieiuno homini accipiantur, alioquin pectus sumentis suffocant et pulmonem eius laedunt ac stomachum illius incidentes debilem reddunt, quoniam absque condimento sumpta sunt; quod sicut pulvis terrae, quem homo introrsum trahit, eum laedit, sic et ista inordinate accepta hominem magis ad detrimentum quam ad sanitatem ducunt. Nam in cibo vel post cibum hominis ideo praecipue accipienda sunt, quod tunc humores ciborum illorum attenuant et hominem acceptum cibum digerere faciunt, excepto si homo huiusmodi infirmitates habet, contra quas nobiles et fortes herbas aut pretiosum pulverem ieiunus accepturus sit.

IV.

Item de menstrui retentione. [1]) Mulier ergo, quae obstrusa menstrua patitur et inde dolet, accipiat anesum et febrefugiam aequali pondere et *wullenam* aliquantum plus, quam unius istorum sit, et eas coquat aperto et fluento flumine, quod et sole et aere temperatur, et tunc etiam sumat lateres et eos in ignem ponat et assum balneum cum praedicta aqua et praedictis herbis faciat. Cumque hoc balneum intraverit, super scabellam herbas istas calidas ponat et desuper sedeat atque easdem

[1]) v. 26 — p. $187,_{12}$ = Migne 1174 B.

herbas genitali membro et ita sursum ad umbilicum et toto umbilico calidas circumponat. Et si interim infrigidatae fuerint, eas iterum in praedicta aqua calefactas in eisdem locis sibi circumponat et hoc faciat, quamdiu in balneo illo sedeat, ut per humores herbarum istarum cutis et caro illius exterius et matrix interius mollificetur et ut venae eius, quae clausae sunt, aperiantur. Nam calor anesi humores commovet; calor autem febrefugiae sanat et calor *wullene* fluxum parat. Et cum herbulae istae simul temperantur, et cum calores earum in calefacta aqua fluminis excitantur, quae aqua vivi fontis sanior et suavior est, quoniam in aperto ab aliis elementis tangitur, et cum etiam ignitis lateribus commoventur, qui etiam aliis lapidibus similes non sunt, quod per ignem cocti sunt, unde sani exsistunt: cum suavitate balnei menstrua provocant, ut praefatum est. Deinde sumat *rifelbere* et ad eorum tertiam partem millefolium et rutham quasi tertiam partem millefolii et tantum de aristologia longa, ut *rifelbere* et millefolii est, et plurimum de dictampno et haec in mortario tundat et sic bono et puro vino in nova olla coquat ac coctas cum vino in saccellum fundat et insuper apertum gariofel, quantum habere potest, et de albo pipere minus quam gariofili, et haec simul terat et satis de novo et recente melle, quod absque sorde est, addat et in optimo vino fervere faciat atque ad praedictas herbas in saccellum fundat et ex his claretum paret et per singulos dies et ieiuna et pransa illud bibat, sed non in praefato balneo, quoniam balneum hominem aliquantum ad digestionem constringit. Et cum frigiditas *rifelbere* calore millefolii et calore ruthae et calore aristologiae longae et calore dictampni et alterato calore vini ac calore aperti gariofili, quod haec infirmitati magis convenerit quam aliud gariofel, et calore albi piperis, quod etiam menstrua provocat, et calore recentis mellis, quod etiam his convenit, temperatur: clausa viscera mulieris aperiuntur et coagulatio menstruorum indurata solvitur, velut praedictum est. Faciat quoque sobriunculam ex ovis et sufficiente sagi-

mine addito modico succo de levistico et hoc ante cibum et post cibum suum utatur, quoniam, cum frigiditas ovorum et frigiditas levistici cum calore vini et calore sagiminis temperatur, huiusmodi coagulationem in muliere solvit. Et sic faciat per quinque aut per quindecim dies, vel usque dum solvatur. Sed interim dum praefatam constrictionem sanguinis patitur, bovinas carnes et alios [et] grossos cibos devitet, quod eam constringunt, sed suaves comedat et vinum bibat; sed si etiam interim aquam bibitura est, aquam putei bibat, aquam vero salientis et fluentis fontis devitet, quoniam aliis aquis aliquantum asperior est; sed aquam fluentium fontium coquat et refrigerari permittat, antequam eam bibat, quia ista hoc modo parata suavis efficitur.

De menstruorum fluxu. [1]) Igitur mulier, quae iniusto tempore multa menstrua inordinate patitur, lineum pannum in frigida aqua intingat et femoribus suis saepe circumponat, ut interius infrigescat, quatinus per frigiditatem linei panni et frigidae aquae iniustus fluxus sanguinis retineatur. [2]) Et etiam *ebech* in aqua coquat, et sibi in femoribus et in umbilico calidum circumponat, et frigiditas illius ac contraria virtus, quam in se habet, contrario fluxui, qui et in femoribus et in umbilico habundat, resistit, et ideo etiam eisdem membris cocta et calida superponitur, quod calefacta sanitatem eis affert. [3]) Pandoniam quoque in vinum ponat, ut inde saporem habeat, et sic illud saepe bibat, et calor pandonii cum calore vini temperatus iniustum calorem sanguinis restringit. [4]) Deinde omnes venas suas, scilicet quae in cruribus et in ventre ac in pectore et in brachiis suis sunt, sursum manibus suis leniter comprimendo saepe moveat, quatinus coerceantur, ne iniustum iter sanguini faciant. Sed et caveat, ne nimis laboret et ne multum in eundo fatigetur, ne inde idem sanguis moveatur, et etiam caveat, ne duros aut

---

[1]) v. 15—20 = Migne 1211 C. — [2]) v. 20—23 = Migne 1187 A. — [3]) v. 25—27 = Migne 1182 C. — [4]) v. 28 — p. 188,4 = Migne 1211 D.

amaros cibos comedat, ne ei iniustam digestionem parent, sed mollia et suavia cibaria interim sumat, quatinus eam interius sanent, et vinum ac cerevisiam bibat, quatinus ex his ita confortetur, ut sanguinem retinere possit.

De partus difficultate. [1]) Sed et si praegnans mulier in partu multum laborat, tunc cum timore <et> magno moderamine suaves herbulae, scilicet feniculum et aserum in aqua coquantur et expressa aqua ita calidae circa femora et circa dorsum eius ponantur et ita desuper panno ligato suaviter teneantur, ut dolor et claustra illius tanto suavius et facilius solvantur. Nam mali et frigidi humores, qui in femina sunt, eam praegnantem interdum constringunt et claudunt, sed cum suavis calor feniculi et suavis calor aseri in suavitate aquae ad ignem excitantur et ita femoribus et dorso illius circumponuntur, quoniam in eisdem locis plus quam in aliis constrictionem patitur, ad apertionem eadem membra provocant.

De salivae et emunctionis purgatione. [2]) Ut autem de saliva et de excreatione et emunctione homo purgetur, accipiat agrimoniam et bis tantum fenigraeci et in mortario tundat et succum earum exprimat et etiam *storchesnabel* tundat et succum eius, quantum obolus ponderat, succo agrimoniae et fenigraeci addat. Deinde accipiat tantum de galanga, quantum istorum trium fuit, et storacis, quantum sex nummi ponderant, et polipodii ad pensam duorum nummorum et haec in pulverem redigat ac pulverem istum praefato succo quasi coagulando comprimat et ex eo pillulas ad quantitatem fabae faciat; postea de celidonia maiore succum exprimat et de eodem succo, quantum quarta pars nummi pensat, suscipiat ac in illo pillulam unam circumvolvendo intingat et ad solem ponat, ut exsiccetur. Et sic de aliis pillulis faciat unamquamque in eodem succo, quantum quarta pars nummi ponderat, intinguendo ac ita ad calorem solis eas exponat, non autem ad ignem lignorum nec ad ignem fornacis.

---

[1]) *v.* 5—11 = Migne 1157 D—1158 A. — [2]) v. 18—p. 189, 34 = *Migne* 1176 B—C.

Quod si calorem solis non habuerit, in lenem ventum aut ad lenem auram ponat, ut suaviter exsiccetur. Nam calor agrimoniae et calor galangae et virtus storacis et calor polipodii ac calor celidoniae maioris frigidos humores, de quibus flegma in homine nascitur, superat, et frigiditas fenigraeci ac frigiditas *storkesnabeles* frigus eorundem humorum dissipat. Sed et celidonia maior humores in homine inundare facit, ceterae autem praefatae herbae eos retinent, quatinus leniter ab homine egrediantur. Et ad solem pillulae istae exsiccabuntur, quoniam calor eius sanus est, et non ad ignem lignorum aut fornacis, quod ignes istorum quasi defectum habent, quantum ad solis calorem. Cum autem homo has pillulas sumere voluerit, stomachum suum et ventrem agninis vel aliis pellibus circumponat, ut calidus fiat, quoniam calor earum sanus est, et non multum ad ignem accedat, quod venae eius inflarentur et sanguis supra modum inundaret et ita humores in iniustum exitum deducerentur; sed calore vestium utatur et iam ante solis ortum eas sumat, quod aurora eo tempore suavis et lenis est. Et vel quinque vel novem pillulas accipiat, ita quod unamquamque singillatim melle modice intingat et singillatim glutiat, quoniam mel calidum et dulce est; quod si mel non habuerit, in offa de triticeo pane facta singillatim in cocleari sumat propter bonum saporem eiusdem offae. Et cum eas sumpserit, modice et paulatim in umbroso loco et non in calore solis deambulet, usque dum solutionem sentiat, quoniam calor et splendor solis humores cerebri in iniustum modum forte educerent. Circa mediam vero diem, postquam solutionem in se senserit, vel si eam obdurato stomacho nondum habere poterit, primum ius vel sobriunculam de farina similae factam sorbeat, ut aut viscera per solutionem commota per suavitatem eiusdem iuris vel sobriunculae sanentur aut induratus stomachus hoc modo mollificetur.

Item de sanguinis fluxu. [1]) Cui ergo multus sanguis

---

[1]) *v. 35 — p. 190,12* = Migne 1158 C.

de naribus fluit, accipiat anetum et bis tantum millefolii et has herbas virides fronti ac temporibus et pectori suo circumponat. Nam siccitas et frigiditas aneti ardorem sanguinis extinguit, et calor millefolii sanguinem ad se trahit et eum retinet, ne supra modum inundet. Et hae herbulae virides esse debent, quoniam virtus earum in viriditate praecipue viget; sed et fronti et temporibus ac pectori circumponentur, quod ibi vis venarum est, quae sanguinem portant. Quod si in hieme est, herbas pulverizet et ipsum pulverem modico vino aspersum in saccellum ponat et fronti ac temporibus ac pectori superponat, quemadmodum praedictum est, quoniam calor vini ad restringendum sanguinem eidem pulveri vires tribuit.

De coriza. [1]) Si nimius dolor prae multo fluore in naribus hominis excreverit, ille feniculum et quater plus de aneto accipiat ac super lapideam tegulam tecti vel super tenuem laterem igne calefactum ponat et hac et illac feniculum illud et anetum verset, ut fumiget, ac fumum istum et odorem eius naribus et ore introrsum in se trahat, et deinde etiam idem feniculum et idem anetum sic super praedictum lapidem calefactum cum pane comedat. Hoc autem per triduum aut per quatuor aut per quinque dies faciat, quatinus ille fluor capitis et narium tanto suavius solvatur et ut illi effluentes humores tanto suavius separentur. Nam calor et humiditas feniculi iniuste diffusos et iniuste separatos humores colligit et contrahit, et sicca frigiditas aneti eos exsiccat, cum simul super ignitum lapidem propter sanam naturam illius temperantur, ut praedictum est.

De potionibus accipiendis. [2]) Homo, qui potiones facere et sumere vult, zinziber accipiat et dimidiam partem tanti de liquiricio et tertiam partem de *zituar*, quantum de zinzibero, et haec in pulverem redigat et colet, et deinde eundem pulverem simul penset. Postea sumat tantum de

---

[1]) v. 14—25 = Migne 1157 B—C. — [2]) v. 30 — p. 192,11 = *Migne* 1137 A—B.

zuccaro, quantum pulvis iste pensat. Quod cum fecerit, omnia simul penset ad pondus triginta nummorum. Deinde accipiat de purissima farinula similae, quantum dimidia testa nucis capit, et tantum lactis de citocacia, quantum incisa penna scriptoris in incisione tenere potent, id est sicut scriptor pennam in incausto intingit, et sic de praedicto pulvere et de farinula et de lacte citocaciae tenuissimam massam velut tortellum faciat et hanc massam in quatuor partes dividat et ad solem in Martio vel in Aprili siccet, quoniam in mensibus istis radius solis ita temperatus est, quod nec nimis calidus nec nimis frigidus ⟨est⟩, et ideo sanitatem praecipue affert. Quod si in istis mensibus lac de praedicta citocacia habere non poterit, ita quod eum ⟨oportet⟩ differre ad Maium, tunc etiam praefato tortello in Maio facto ad solem etiam Maii exsiccet et sic ad opportunum tempus observet. Nam calor zinziberi et frigiditas *zituaris* humores congregant, et calor et humiditas zucchari eos retinet et humectat, calor vero et fortitudo similae eos continet, ne iniuste effluant, succus autem citocaciae frigiditate sua eos suaviter et competenter educit, cum sic temperantur, ut praedictum est. Zinziberum autem et *zituar* et zuccharum et similia bonos humores in homine retinent, et citocacia malos humores educit; quod si citocacia absque eis, quae praedicta sunt, homini sola daretur, et bonos et malos humores educeret, quod bonos humores nullum temperamentum bonarum herbarum retineret. In praedictis autem mensibus haec potio parabitur, quod et sol et aura boni temperamenti tunc sunt. Et qui tunc potionem sumere voluerit, quartam partem de praedicta massa ieiunus bibat. Quod si stomachus illius tam fortis et spissus est, quod tactum potionis huius non sentit, iterum dimidiam partem tertiae partis praefati tortelli accipiat et dimidiam totam cum lacte citocaciae illiniat et sic iterum in sole siccatum ieiunus sumat. Antequam vero aliquis potionem istam accipiat, ad ignem, si frigus est, se calefaciat et sic sumat, et postquam eam sumpserit, in lecto vigilando modicum

requiescat et deinde surgens hac et illac modice deambulet, ita tamen, ne frigus patiatur.

De diaeta. Post solutionem autem triticeum panem, non siccum, sed in sobriuncula intinctum comedat et pullos gallinarum et porcinas carnes atque alias suaves carnes edat, grossum autem panem et bovinas carnes et pisces et alios grossos cibos et assos exceptis assis piris devitet, et a caseo et a crudis oleribus atque crudis pomis se abstineat, vinum autem, sed tamen modice, bibat et aquam dimittat. Claritatem quoque solis et ignis fugiat et sic per tres dies haec observet.

[Nihil inveni, nihil scripsi.] Accipe iecur piscis illius, qui *welra* dicitur, et ligno de tilia superpone et tunc igne facto lignum istud cum eodem iecore super vivos carbones pone, ut iecur illud exsiccetur, sic tamen, ne fumus et flamma eiusdem ignis iecur istud tangat, et tam diu idem iecur exsiccari permitte, dum exsiccatum in pulverem redigere possis. Quod si lignum illud interim ab igne consumi videris, antequam iecur exsiccetur, tunc iterum alio eiusdem generis illud superpone. Et postquam exsiccatum fuerit, in pulverem redige. Deinde tolle nucem muscatam et fenigraecum et haec super *griesstein* igne modice calefactum sicca et in pulverem redige. Et tunc pulverem istum et illum, quem de iecore praedicti piscis fecisti, in panniolum simul liga modico musco addito, ita quod praedictus pulvis de iecore *welre* factus tribus partibus pulverem nucis muscatae excedat, et quod pulvis fenigraeci tantus sit, ut pulvis praefati iecoris, et tecum semper porta, et pulvis iste sanitatem corporis tui retinet.

De incontinentia. [1]Si homo aliquando ita in delectatione commovetur, quod spuma ad articulum demissionis pervenerit, sed tamen intra in corpore aliquo modo continente retenta fuerit, et inde ille infirmari inceperit, rutham et modicum minus de absinthio accipiat et succum earum exprimat et huic succo zuccarum et plus de melle, quam

[1]) v. 30 — p. 193,9 = Migne 1155 C—1156 A.

zuccari sit, addat et tantum vini, quantum succorum istorum est, et ignito calibe in nova olla aut in patella quinquies calefaciat, et postquam modicum comederit, illud calidum bibat. Quod si in hieme est, ita quod praedictas herbas habere non potest, baccas lauri et bis tantum de dictampno pulverizet et post modicum cibi in calido vino ignito calibe calefacto bibat. Et sic noxius livor, qui in eo remansit, cum urina et digestione egreditur. Nam in aestate succi isti haberi possunt. Calor enim et frigus ruthae cum calore absinthii coagulatos humores istos ab homine repellit et calor zuccari cum calore mellis hominem hoc modo infirmantem sanant. Et cum calor vini cum iterato calore calibis et cum praedictis succis temperatur, et cum haec quinquies ad confortationem sui calefaciuntur, post modicum cibum, ne homo in debilitate deficiat, sumantur, et idem homo melius habebit. Sed et in hieme, ⟨cum⟩ succi herbarum istarum haberi non possunt, cum calor baccarum lauri et calor dictampni cum iterato calore vini temperantur et cum iterato calore calibis confortantur, praedictam infirmitatem, ut praefatum est, ab homine depellunt.

De oculorum caligine. Sed homo, qui de superfluitate libidinis in oculis caligat, sive masculus sive femina sit, tollat cuteculam fellis piscis illius, qui dicitur *welra*, et hanc cuteculam felle effuso ad solem exsiccet, ut, si quid mali humoris in illa remansit, per fortitudinem caloris solis auferatur, quod fortitudo eiusdem nimis fortis esset oculis, ut eos laederet. Deinde eandem cuteculam purissimo et optimo vino intingat, ut per suavitatem et fortitudinem eiusdem vini temperetur et mollificetur, et ad noctem, cum se in lectum ad repausandum ponit, eam super oculos suos ponat et desuper panno liget, ita tamen ne humiditas eiusdem cuteculae oculos interius tangat, ne per fortitudinem illius laedantur. Et circa mediam noctem auferat nec diutius iacere permittat, ne fortitudo eius oculos transverberet et ne *illos ita* laedat. In tertia autem nocte et *in quinta ac in septima* idem faciat, non autem in secunda

nec in quarta nec in sexta, ne si supra modum hoc fecerit, inde laedatur. Sed et si de alia qualibet peste quispiam homo caliginem senserit, istud, ut praedictum est, cum eadem cutecula ad reparandum visum faciat. Nam cum praefata cutecula hoc modo, ut dictum est, temperatur, caliginem oculorum aufert, aut deus hoc fieri non permittit.

Contra luxuriam. [1])Igitur ut homo delectationem et libidinem carnis in se extinguat, accipiat in aestate anetum et bis tantum de *bachmenza* et *lunchwurz* [et] modicum plus quam *bachininze* atque radicem iris Illyricae bis tantum ut *bachininze* et *ascheloch* tantum ut iris Illyricae ac omnia haec in acetum incidat et ex eis condimentum faciat et sic frequenter cum omnibus cibis suis comedat. In hieme autem haec pulverizet et pulverem istum item cum escis suis manducet, quod viriditatem earundem herbarum tunc habere non potest. Nam siccitas ęt frigiditas aneti calorem delectationis extinguit, et frigidus succus *bachiminz* pravo succo illi resistit, et frigidus et non delectabilis succus *lunchwurz* pravam dulcedinem hanc aufert, ac virtuosa frigiditas iris Illyricae eandem delectationem superat, et venenosa frigiditas *ascheloch* pravum venenum delectationis minuit.

Contra fantasiam. Qui a diabolico fantasmate in die aut in nocte vigilando aut dormiendo fatigatur, accipiat cingulum de pelle *helun* et cingulum de pelle capreolae factum et hos duos cum quatuor minutis clavis de calibe factis simul confirmet, scilicet clavo uno ad ventrem, uno ad dorsum, et ad utrumque latus uno. Et <cum> clavum illum, qui ad ventrem erit, infigit, dicat: ‚In fortissima vi omnipotentis dei ad tutamentum meum te adiuro'. Et cum illum, qui ad dorsum erit, imponit, dicat: ‚In fortissima vi omnipotentis dei ad tutamentum meum te benedico'. Et cum illum, qui ad dextrum latus erit, imponit, dicat: ‚In fortissima vi omnipotentis dei ad tutamentum

[1]) v. 8—17 = Migne 1158 C—D.

meum te constituo'. Et cum illum, qui ad sinistrum latus erit, infigit, dicat: ,In fortissima vi omnipotentis dei ad tutamentum meum te confirmo'. Et hoc cingulo accinctus sit homo omni tempore tam in die quam in nocte, et diabolica fantasmata eum abhorrebunt ac magica verba eum minus laedunt, cum praedicta benedictione ex omni parte corporis sui per ista munitur et circumcingitur. Nam calibs est firmamentum et ornamentum aliarum rerum et est quasi quaedam adiunctio ad vires hominis, quemadmodum homo fortis est. Sed in *helun* quaedam fortitudo est, et capreola mundum animal est, et ideo diabolici spiritus ista dedignantur et ea abhorrent.

De oblivione. [1]Homo, qui absque voluntate sua obliviosus est, urentem urticam accipiat et eam ad succum contundat et deinde illi modicum *boumolei* addat et, cum dormitum vadit, pectus suum et tempora sua cum eo perungat et hoc saepe faciat, et oblivio in eo minuetur; acutus enim calor urentis urticae et calor *boumolei* constrictas venas pectoris et temporum excitat, quae a vigili sensu aliquantum dormitant.

De singultu. Qui singultum patitur, plurimum de zuccharo accipiat et illud in calida aqua dissolvat et aquam hanc calidam bibat, quoniam calor zuccari cum suavitate calefactae aquae ariditatem, quam frigus singultus homini infert, humectat, quod etiam calida aqua infirmitati magis convenit quam vinum, quoniam aqua haec suavis est, vinum autem forte. Sed et siccum zuccharum comedat et [2]gariofilum ieiunus frequenter manducet, sed *zitwar* pransus frequenter comedat et hoc etiam per mensem unum faciat. Nam zuccharum siccitatem eiusdem hominis minuit, calor quoque gariofili, cum idem homo ieiunat, <eum> pertransit et calidum facit, <calor> autem *cituaris* fortis est et frigus praefatae pestis depellit; et in pranso homine hoc facit, quoniam, si ieiunus esset, fortitudo eiusdem

---

[1]) v. 13—17 = Migne 1169 A—B; v. p. 219. — [2]) v. 27—30 = Migne 1141 C.

cituaris ieiunum laederet. Et his idem homo per mensem utetur, quatinus tanto plus ab eis roboretur.

Contra venenum. Pulvis contra venenum et contra magica verba; et sanitatem et fortitudinem atque prosperitatem illi confert, qui eum apud se portat. Accipe ***storkesnabil*** radicem unam cum foliis suis et malvae radices duas cum foliis suis atque plantaginis septem radices cum foliis suis, et herbas istas cum eisdem radicibus suis in medio mense Aprili et in media die evelle et super humidam terram pone et modice cum aqua asperge, ut aliquamdiu virides permaneant. Et cum ad vesperam dies inclinat, ad splendorem solis pone, usque dum sol deficiat. Occidente autem sole eas inde tolle et interim per noctem illam super humidam terram pone et modica aqua asperge, ne cito arescant. Et tunc in primo mane aurorae sequentis diei aurora surgente in ipsum folgorem aurorae usque ad tertiam horam diei iterum super humidam terram absque aspersione aquae pone usque ad mediam diem, cum sol ad austrum vergit. Deinde ad mediam diem eas tolle et ad austrum in splendorem solis usque ad nonam horam eiusdem diei pone, postea eas tolle et super pannum pone ligneo assere supposito, ita ne dissipentur aut conterantur, et sic eas permitte iacere usque modicum ante mediam noctem. Et tunc, cum rota aquilonis ut rota molendini se circumfert in tenebras revertens, quia nullam claritatem habere potest et quoniam tunc omnia tenebrosa et nocturna mala fugitiva sunt, quia nox ad diem tunc inclinari debet, scilicet paululum ante mediam noctem: easdem herbas pone in altam fenestram aut insuper liminare ianuae aut in aliquem hortum, ut temperatum aerem habere possint, ut ab aere tangi valeant, et sic iaceant usque post pusillum mediae noctis. Sed media nocte iam transacta eas de loco, in quo iacent, aufer ac eas modico digito tere et sic in novum pixidem pone atque modicum bisemum adde, ita tamen, ne odor herbarum istarum ab odore bisemi superetur. Et *bisemo* iste aliquamdiu continet eas, ne putrescant. Deinde quilibet homo herbas istas sic paratas pro fuganda infirmitate

et pro retinenda sospitate cotidie ad oculos et ad aures et ad nares ac ad os suum adhibeat, ut odorem earum excipiat. Et si magna delectatio in viro est, eas ligatas in pannum a lumbis usque ad stirpem ponat; mulier autem ad umbilicum, et refrigerium sentiet. Et si quispiam cibum comederit, unde dolet, eas in summitatem arti vasculi superius immittat, in quo vinum est, non tamen ut a vino tangantur, sed ut vinum illud odorem earum tantum suscipiat, et vino hoc modicam sobriunculam, id est *suffen*, paret et ita sorbeat. Sed et si quis venenum sumpserit vel si quis magica arte fatigatur, vinum odore isto perfusum bibat, et melius habebit. Et qui praefatas herbas, ut praedictum est, temperatas apud se portat, sospitatem et fortitudinem retinebit, quod eaedem herbae per omnes horas et per omnem temperiem tam noctis quam diei temperatae sunt.

De spasmo. [1])Cum *crampho* hominem alicubi in corpore suo laedit, *boumoleum* accipiat et in eodem loco, ubi dolet, cum <eo> se fortiter perungat, aut si *boumoleum* non habet, cum alio aliquo pretioso unguento ibi se perungat. Quod si nec *boumoleum* nec aliud aliquod unguentum habere poterit, tunc per eundem locum, ubi de *crampho* dolet, manus suas fortiter movendo hac et illac trahat, et dolor ille cessabit. Nam calor et virtus *boumolei* seu virtus aliorum unguentorum fumum melancoliae ibi fugat, et cum etiam locus eiusdem doloris manu leniter fricatur, idem dolor fugatur.

De tortionibus. [2])Homo, qui *stechedun* patitur, metram accipiat et eam ad succum fortiter contundat et deinde modicum de butyro vaccarum ei addat et cum illo, ubi dolet, se perungat, et curabitur, quod calor et virtus metrae cum calore et suavitate butyri eundem dolorem fugat et mitigat. [† [3])Accipe salviam minus quam *cituwar* et feniculum plus quam salviae et *cituwar*. Postea sume

---

[1]) v. 17—19 = Migne 1230 D. — [2]) v. 28—31 = Migne 1177 C. — [3]) v. 33—p. 198,4 = Migne 1136 D; v. p. 209.

merlinsen et *vicwur* bis tantum ut *merlinsen* et synape, quod in campo crescit, eodem pondere ut *vicwur* atque herbam, <in qua> *cleddun* crescunt, minus, quam *merlinsen* sit.]

De ira et tristitia. Cum aliquis homo in iram aut in tristitiam provocatur, mox vinum ad ignem calefaciat et modice frigida aqua commisceat et bibat, et sic fumus melancoliae, qui in eo ad iram surrexit, compescitur.

De ira. Qui autem in ira ita movetur, quod inde dolendo infirmatur, accipiat baccas lauri et eas super ignitum laterem arefaciat <ac etiam herbas salviae et amaraci> ac eas ad solem siccatas pulverizet atque pulverem istum et alium praedictum pulverem de baccis lauri factum in pixidem simul ponat, ita quod pulvis baccarum lauri pulverem salviae excedat et pulvis salviae pulverem amaraci, et sic naribus suis propter bonum odorem apponat. Deinde quoque partem eiusdem pulveris modico vino frigido imponat et sic commisceat, ac cum illo frontem et tempora ac pectus suum perungat. Nam baccae lauri calidam et siccam siccitatem habent et humores, quos ira in homine arefecit, humectat, et calor amaraci cerebrum per iram commotum sedat et siccus calor salviae humores, quos ira destruxit, congregat. Et cum baccae lauri super ignitum laterem propter sanitatem, quae in ipso est, exsiccantur et cum amaraco et salvia ad solem propter fortitudinem illius, ut praefatum est, ponuntur, et cum sic temperantur, bono calore suo praedictam infirmitatem mitigant. Et etiam pulvis earum non calefacto vino propter naturalem suavitatem eius temperatus venas frontis et venas temporum ac venas pectoris, quae per iram commotae sunt, sedant, ut praefatum est.

De oculorum caligine ex fletu. [1]) Qui de fletu lacrimarum in oculis caligat, hic millefolium vel radicem eius accipiat et ad succum modice tundat et tritam oculis ad noctem superponat, ita tamen ne succus eius oculos inter-

---

1) v. 32—p. 199,3 = Migne 1175 D—1176 D.

rius tangat, et desuper panno liget fere usque ad mediam noctem et tunc auferat. Hoc facto mox optimo et purissimo vino cilia oculorum modice circumliniat. Nam calor millefolii sanat et succus eius aliquantum acer est et ulcera mundat, et quod etiam vinum calidum est et aliquantum acrum est, acerbitatem succi millefolii aufert, et sic oculi sanantur.

De risu immoderato. Qui multo et immoderato risu motus et concussus dolet, nucem muscatam pulverizet et huic bis minus zuccari addat et sic calefacto vino imponat et illud tam ieiunus quam pransus bibat. Immoderatus enim risus pulmonem arefacit et iecur concutit, sed calor nucis muscatae iecur sanat, et calor et succus zuccari pulmonem renovat. Et cum haec alterato calore vini temperantur et ita sumuntur, bonos humores per immoderatum risum destructos restituunt.

De ebrietate. Ut ebrius ad se redeat, caniculatam tollat et eam in frigidam aquam ponat et cum eadem aqua frontem et tempora ac guttur suum madefaciat, et ad se redeundo melius habebit, quod cum frigiditas caniculatae frigiditati aquae coniungitur, procellam et calorem, qui in venis frontis et temporum hominis sunt, sedat. Quod si in autumno est, de cruda vite palmitem cum recentibus foliis accipiat et fronti et temporibus ac gutturi suo circumponat, et refrigerabitur, quoniam maior virtus eo tempore in palmitibus vitis est quam alio tempore, et ideo tunc propter naturam et cognationem vini procellam et inundationem vini, quae in venis frontis et temporum ac gutturis hominis sunt, mitigat. Si omnia haec praedicta habere non poterit, feniculum vel semen feniculi comedat, et lenius habebit, quod suavis calor et suavis virtus feniculi insaniam vini in ipso compescit.

Ad vomitum. [1]) Qui nausiam patitur, ciminum accipiat et ad eius tertiam partem piper atque bibinellae velut quartam partem cimini et haec pulverizet et puram fari-

---

1) v. 33—p. 200,11 = Migne 1138 B.

nam similae accipiat et pulverem istum farinae huic immittat, et sic cum vitello ovi ac cum modica aqua tortellos aut in calida fornace aut sub calidis cineribus faciat et tortellos istos comedat, sed et praedictum pulverem super panem positum manducet. Nam cum frigiditas cimini et frigiditas bibinellae et frigiditas vitelli ovi cum calore piperis et cum calore farinae similae temperantur et cum suavitate aquae componuntur ac cum suavi calore fornacis, ut praedictum est, excoquuntur, iniuste calidos et iniuste frigidos humores, qui nausiam homini inferunt, compescunt. [Accipe ergo *kumel* et ad eius tertiam partem piper atque bibinellae velut quartam partem *kumeles* et haec pulveriza et accipe *dunst* similae et pulverem istum in farinam hanc mitte et sic cum vitello ovi ac modica aqua tortellos fac in calida fornace vel *herde* et tortellos istos comede, sed et praedictum pulverem super panem positum manduca.]

De dissinteria. Qui dissinteriam patitur, ovorum vitellos albugine abiecta <accipiat> et illos in scutella terendo pulset. Quod cum fecerit, ciminum et modicum piper tritum in testas ovorum reponat et ad ignem asset et dolenti, postquam modicum comederit, ad manducandum tribuat. Vitellus enim ovi siccus et livore permixtus est et quaeque ad se trahit et ea, quae soluta sunt, constringit, et pullus ex eo nascitur, et ideo solutos humores contrahit; ciminum quoque frigiditate sua soluta constringit; piper autem haec duo calore suo temperat, ut tanto fortius solutos humores contineat, ut praedictum est. Sumat etiam alios <vitellos> ovorum et ad ignem in sartagine ab eis sagimen exprimat, et cum illo et cum pura farina similae factis tortellis <illos> post modicum cibum manducet, quod sagimen vitellorum cum calore et fortitudine similae temperatum eandem solutionem sedat. Quidcumque autem idem infirmus interim comedit, calidum comedat, quod stomachus et intestina eius atque humores in ipso infrigidati sunt; et quae mollia sunt et quae suavem saporem habent, manducet et pullos gallinarum et ceteras molles

carnes et pisces; sed allec et salmonem devitet, bovinas quoque carnes et caseum et grossa et cruda olera et porrum devitet atque siliginem ed ordeaceum panem et quidcumque assum est, praeter assam piram, non comedat. Nam omnia haec pulverem intestinorum duritia et asperitate sua exasperant, et aqua livorem in eis parat; et ideo interim dum vitanda sunt; vinum autem calore ea constringit.

De fluxu sanguinis. Si quis fluxum sanguinis habet, accipe duos vitellos ovi et eos distempera et succum metrae adde, quantum medietas unius vitelli, et aceti, quantum duae testae ovi capiunt, et tunc modicum de pulvere cinamomi et de pulvere *zituar* minus, quam pulveris cinamomi sit, eis immitte, et cum haec simul miscueris, cum modica aqua *suffun* aliquantum spissum inde para et da illi, qui fluxum sanguinis patitur, modice calidum tam ieiuno quam pranso ad sorbendum, et sic saepe fac, et melius habebit.

Item de fluxu sanguinis per posteriora. Qui fluxum sanguinis patitur, *bramberecruth* et bis tantum *bluthcruth* accipiat et modice tundat, scilicet usque dum succum reddat, et sic in vinum ponat et inter cibum et post cibum sed non ieiunus bibat. *Bramberecruth* enim et *bluthcruth* quasi de liquore sanguinis succum habent, et haec cum vino temperata calore et frigore suo effluentem sanguinem sedant; et a pranso homine sumuntur, ut sanguinem constringant, qui tunc cibis hominis accurrit. Farinam quoque similae accipiat et ex ea cum solo melle et modico sale tortellos faciat et eos comedat. Nam farina similae calore et fortitudine sua carnem hominis crescere facit et iniustum iter sanguinis concludit, et mel calore et succo suo iniustum sanguinem sedat, ac calor salis eum siccat. Et cum simul temperantur, iniuste effluentem sanguinem continent. Interim autem dum infirmitatem hanc patitur, panem triticeum comedat, sed siligineum et ordeaceum devitet, bovinas quoque carnes et porcinas et omnes pisces, qui squamas non habent, ac caseum et cruda olera et

cruda poma et quidquid assum sit, devitet. Reliquas autem carnes, quae molles sunt, et reliquos pisces comedat et cum pisae sorbeat, ipsam autem pisam et lentem et fabam devitet. Sed et omnem cibum calidum ne comedat, sed temperatum accipiat, ita quod nec calidus nec frigidus sit. Suave quoque vinum bibat, sed aquam interim devitet, quod haec omnia nociva sunt homini infirmitatem hanc habenti, ut etiam de dissinteria dictum est.

De emoptoica passione. [1]) Si mali et concreti et venenosi humores in homine superhabundaverint et eum sanguinem excreare et vomere per aliqua tempora fecerint, interim nullam medicinam ille homo sibi adhibeat, ne sanguis per medicinam exterritus ipsum interius exulceret et plus solito effluat. Sed postquam idem sanguis hominem illum aliquantum fatigare cessaverit, salviam in leni et suavi vino modice aqua mixto coquat modico quoque *boumoleo* aut butyro addito, et sic cocto per pannum colet et modice et non ad sufficientiam nec ieiunus sed pransus libat. Salvia enim interiori foeditati humorum resistit, vinum autem cum suavitate aquae temperatum infirmum illum refocillat et confortat, *boumoleum* vero aut butyrum illum interius sanat.

De emorroidis. Si mali et aquosi aut tenues humores superhabundaverint in homine et sanguinem absque egestione ciborum per posteriora illius transire fecerunt, ille huiusmodi fluxum sanguinis in se restringere non quaerat, quoniam, si aliter fecerit, idem sanguis in maiorem stuporem vertetur et in maiore effusione emanabit.

Item de sanguine. [2])Si sanguis in homine malis et aquosis humoribus excitatus per posteriora eius cum egestione ciborum effluere ceperit, ille eum non restringat, quod purgationem ei affert et quoniam ei pro purgatione
Sed si supra modum idem cum egestione per eum

[1]) v. 9—22 = Migne 1154 D—1155 A. — [2]) v. 30—p. 203, Migne [illegible] D.

transit, gamandream oleribus et aliis bonis herbulis addat, ex quibus cibum faciat et ita eundem cibum moderate comedat; et gamandrea praedictum sanguinem minuit et eum restringit, olera autem et aliae herbae eum refocillant.

Item de emoptoica. Si ex amaritudine cordis et cogitationum splen et pulmo hominis laeduntur, ita quod homo in his interius oppressus sanguinem excreare et evomere cogitur, eandem emissionem sanguinis in se repente non restringat, ne inde interius exulceratus sanguinem magis et magis evomat; sed cum idem vomitus sanguinis in eo aliquamdiu cessaverit, in pollice dexterae manus sanguinem minuat, quatinus sanguis illuc tendat, qui in sinistra parte hominis eundem dolorem affert. Et sic ille curabitur.

Item de sanguine. Si per tristitiam interiores venulae in homine ita constringuntur, quod ille interdum sanguinem evomit, eundem sanguinem restringere non festinet, sed in quiete et in silentio sustineat, usque dum per se in ipso cesset, ne si repente restringere curaverit, inde potius laedatur quam iuvetur, quod effluere tandem per se cessabit.

De erisipila. Cum pustula, quae *freislicha* dicitur, in homine cum tumore se inflaverit, muscas accipiat et capitibus earum abiectis eas conterat, ⟨et eis⟩ tritis circa tumorem illum circulum faciat, quod venenum muscarum istarum resistit veneno pustulae illius, ne ultra procedat. Deinde rubeam testudinem, quae absque concha est, sumat et ea trita cum ipsa circulum faciat circa circulum illum, quem cum musca facit, et livor eius tabem praedicti tumoris compescit, ut cesset, quod, quod malum est, malo repugnat. Postea succum lilii accipiat et cutem, quae circa circulum est, quem cum testudine fecit, cum eo perungat, quoniam idem succus dolorem illum fugat et sanitatem affert. Deinde folium *vehedisteles* accipiat et illud super eandem pustulam ponat atque de pura farina similae tortellum faciens eum super idem folium et super totum tumorem illum cum panno desuper liget, quati-

nus mollificetur, ut per se rumpatur, quoniam frigiditas et succus *vehedisteles* periculosa non sunt, sed cum calore similae duritiam illam mollem reddunt. Quod si per se rupta non fuerit, cum arida et lignea spina seu alia arida astula dirumpat, non autem ullo ignito vel frigido ferro aut acu, quoniam pustula et tumor ille materiam igneam et frigidam exhorresceret, ita quod periculum facile subsequeretur. Sed interim dum homo tumorem pustulae huius patitur, ab igne et a frigore et a vento et ab humido aere se muniat, atque ab omni calido et asso et grosso cibo et a vino se abstineat et cruda olera et cruda poma devitet, quod omnia noxios humores in eo augerent et accenderent, sed solummodo pulchrum et triticeum panem in aqua comedat et aquam bibat, quoniam illo tempore eidem homini propter suavitatem eius periculosum non est. Quod si idem homo delicatus est, cum puro vitello ovi simplicem sobriunculam de farina similae absque sagimine et absque caseo faciat et infrigidatam manducet. Haec autem tam diu observet, dum dolorem illum mitigatum cessasse viderit. Vinum autem interim vitabit, quoniam venas eius impleret et ita tumorem illum intumescere faceret. Calidos quoque cibos non comedat, quod illi calore suo humores commoverent, et ita tumor ille augmentaretur.

[1] *Contra cancrum et ad quaelibet ulcera et ad dolorem capitis.* Accipe violas et succum earum exprime ac eum per pannum cola et ad tertiam partem succi huius oleum olivae pensa et deinde ad quantitatem succi violae hircinum sepum pondera et haec simul in olla nova fac fervere, et sic unguentum fit. Tunc locum corporis, ubi cancer aut alii vermes hominem comedunt, circumunge et etiam desuper unge; et morientur, cum de eo gustaverint. Sed et alia ulcera, ubi homo dolet, cum ipso unguento perunge, et si quis in capite dolet, frontem eius in transversum cum eo unge.

---

1) *v. 25—33* = Migne 1170 D.

De scabie. [1]) Homo, qui diversa ulcera et scabiem patitur, cerifolium accipiat et ter plus de polipodio quam cerifolii ac enulae quinquies plus, quam cerifolii sit, et haec in aqua coquat. Postea aqua hac expressa et per pannum colata eam in sartaginem fundat atque modicum novi thuris et sulphuris addat et novam et recentem arvinam porci plus, quam aliorum praedictorum sit, addat, ut ita simul in sartagine super ignem aliquantum velut unguentum exspissetur. Et cum hoc unguento dolens circa ulcera et super ulcera se inunguat. Sed et praedictas herbas coctas et calidas aqua aliquantum expressa cuti et ulceribus superponat, hoc autem per quinque dies faciat, ut cutis et caro eius per istud transfundatur, et postea idem dolens balneo se abluat, quatinus livores isti et foetor de ipso auferantur. Nam cerifolium aeque calorem et frigus habet, et cum haec calore polipodii et calore enulae et suavitate aquae et cum calore sulphuris et cum calore thuris et cum calore arvinae et cum alieno igne temperatur, pravos humores in homine fugat. Cerifolium autem, quod calorem et frigus habet, iniustum calorem et iniustum frigus ulcerum et scabiei aufert, calor autem polipodii pravos humores exsiccat, et calor enulae eos fugat, calor quoque thuris sanat et calor sulphuris eos attenuat, calor autem arvinae ulcera et scabiem leniter sanat, cum recens est.

De ictericia. Qui *gelewesuch* habet, verbenam accipiat et bis tantum de cephania, ut verbenae est, et nimmoli ter tantum ut verbenae, vel si cephaniam non habuerit, saxifricam eodem pondere, ut verbenae est, accipiat et herbas istas in optimum vinum ponat in vasculo recondito superius fortiter cooperto. Et vinum istud per novem dies ieiunus bibat, sed pransus modice bibat atque cum eodem vino et ovo ac sagimine paret et comedat. Et cum dormitum vadit, idem vinum ignito calibe calefactum bibat et se calido vestimento tegat, [et] ut sudet; hoc

---

[1]) *v. 1—15* = Migne 1160 C.

autem faciat, dum sanetur. Calor enim verbenae et calor cephaniae ac calor nimmoli seu frigiditas saxifricae aliquantum acutos succos habent, et cum calore vini temperantur et in potu sumuntur vel cum calore vini vel calore saginis ac cum frigiditate ovi propter bonum saporem componuntur, ut praefatum est, acerbitati fellis et melancoliae resistunt et praedictam pestem sedant. Potus autem iste a ieiuno homine praecipue sumetur, quatinus membra eius citius pertranseat, quam si pransus sit; quin etiam ignito calibe confortabitur, ut tanto fortius eandem pestem compescat.

De epylempsia. [1] Qui a caduco morbo fatigatur, sanguinem talpae accipiat et eum exsiccet et etiam rostrum anetae scilicet feminae ac ungues anseris etiam feminae absque cute et carne accipiat et haec in pulverem radendo aut terendo redigat, ita quod pulvis rostri anetae bis tantus sit ut pulvis anseris et quod sanguis talpae bis excedat pulverem, qui de rostro anetae factus est, et haec simul in pannum cum praedicto sanguine ligata in loco, ubi talpa noviter terram eiecit, per triduum ponat. Postea inde ablata, ubi glacies est, ponat, ut congeletur, et iterum inde ablata in sole siccari faciat. Deinde sumat partem iecoris cuiusvis animalis et volucris, quae comeduntur, quantum de his habere potuerit, et ex ipsis cum parva farinula similae tortellos paret et de praedicto pulvere minus addat, quam praedictorum iecorum sit, et modicum ciminum et sic comedat. Nam quod talpa aliquando se ostendit, aliquando etiam se abscondit, et quod terram fodere solet, sanguis eius huic morbo, qui interdum sentitur, interdum celatur, resistit. Et quod etiam fortitudo anetae in rostro est et quod cum rostro munda et immunda tangit, etiam huic morbo, qui praeceps et tacitus est, repugnat. Ita etiam et ungues anseris, qui aqua perfusi sunt et qui etiam quaeque sordida tangunt, *gich* eidem morbo sedat, quoniam idem morbus cum gutta saepe excitatur. Rostrum

---

1) *v. 12* — p. 208,8 = Migne 1334 A—B.

autem hoc et ungues isti feminae esse debent, et non maris, propter taciturnitatem eius, quoniam femina magis quam masculus silet, sicut et morbus iste silet usque ad horam illam, qua hominem deiecit. Et simul commixta in locum, ubi talpa fodit, ponenda sunt, quod eadem terra sanior quam alia est, quatinus ibi succum et viriditatem suam cum succo et viriditate terrae accipiant, quod etiam prius succo terrae perfusa sunt, et deinde etiam per glaciem constringuntur, ut foeditas, quae in eo ⟨est⟩, comprimatur. Ac etiam ad solem exsiccabuntur, ut si quid foeditatis in eis remansit, per ardorem solis auferatur. Sed et iecora tam animalium quam volucrum cum simila commiscebuntur, quoniam iecora sicca sunt et virtutem suam de terra habent et etiam livores ad se trahunt, quatinus illa cum calore et fortitudine similae pravos humores morbi huius extrahant, cimino addito, quod frigiditate sua iniustos ardores morbi huius compescit. Qui autem praefatum morbum patitur, per quinque dies praefatos tortellos comedat, et si nondum convaluerit, per alios quinque dies eis utatur. Et si nondum proderit, item per alios quinque dies eos comedat, et ita septies eodem numero quinque dies faciat. Panem autem et carnes etiam interim comedat cum apio et petrosolino coctas, quoniam carnes istae aliquantum siccae sunt nec malos livores in se habent, et etiam suavis frigiditas apii et petrosolini sordes et febres stomachi purgant, quae etiam morbum istum aliquando suscitant. Quod si bovinas carnes edere voluerit, recentes sumat, et si in aestate est, eas per diem in aquam ponat, vel si in hieme est, per noctem, quoniam aqua totum livorem, qui in eadem carne est, aufert, et postea coctas comedat. Et etiam agninas carnes edere potest, sed necesse non est, ut eas in aquam ponat, ut bovinas carnes, quod tamen suaves sunt. Porcinas vero carnes interim non comedat, quod naturae huius sunt, quod libidinem facile in homine excitant et quod lepram atque caducum morbum et vermem, qui hominem in carne rodit, nutriunt; anguillam quoque devitet et reliquos pisces, qui squamas non habent, quoniam in

natura sua aliquantum livoris tenent venenosi, unde etiam squamis carent. Caseos quoque et ova et cruda olera et cruda poma et quidquid assum est, interim devitet, quoniam caseus huic morbo pro veneno est et ova et cruda olera et cruda poma noxios humores in eo excitant, et quae assa sunt, eidem morbo guttam subministrant. Vinum autem non forte sed suave et aqua permixtum atque cerevisiam bibat.

De hydropisi. [1]) Qui ydropum morbum habet, pavonem scilicet masculum accipiat et cum ysopo in aqua putei coquat, non autem in aqua salientis fontis, et sic carnes illas comedat. Postea cor et os, quod in genu illius volvitur, et ungues ipsius tollat et ex his pulverem faciat, ita quod pulvis eorundem unguium et quod pulvis cordis eius tribus partibus pulverem ossium genuum illius excedat. Deinde batheniam et ter tantum de levistico atque modicum de sagimine anguillae accipiat et haec in vino coquat atque per pannum colat et huic vino praedictum pulverem immittat et ita bibat, hoc autem per decem et octo dies faciat. Carnes enim pavonis siccae sunt et fortes contra ydropum morbum, et ideo de masculo propter fortitudinem suam esse debent. Sed cum ysopo coquantur, quod ille in siccitate et suavi frigore suo superfluam humiditatem eiusdem morbi exsiccat, et in aqua putei coquantur, quoniam hic quoque siccas venas aquarum habet et magis ydropum morbum consumit quam aqua salientis fontis, quae aliquantum magis aquosa est quam aqua putei; et ideo haec eundem morbum humiditate sua augerent. Cor autem pavonis pulverizatum suffocat morbum istum; sed os, quod in genibus volvitur, quoniam venas cruris ligat, etiam eundem morbum ligat, ne ultra procedat. Ungues vero fixuram eiusdem morbi, ne quasi in saliente aqua exsurgat, deprimit, aqua vero eiusdem morbi calorem batheniae fugit, frigiditas autem levistici mentem hominis illius laetificat, quod tristis est, et sagimen anguillae fixu-

---

[1]) v. 9—22 = Migne 1289 D.

ram eiusdem morbi constringit, quae eum surgere facit. Calor quoque vini eum magis quam aqua sedat, et haec omnia insimul temperata, ut praedictum est, morbum istum minuunt.

De colica. [1]) Homo, quem *vich* fatigat, modicum zinziberi et plurimum cinamomi accipiat et haec pulverizet. Deinde tollat salviae minus quam zinziberi et feniculi plus quam salviae et tanaceti minus quam salviae atque haec in mortario ad succum terat ac per pannum colet. Deinde mel in vino modice coquat et ei parum albi piperis addat, vel si illud non habuerit, parum de nimmolo et praedictum pulverem ac praedictum immittat succum. Postea *merlinsen* sumat et tormentillae bis tantum ut *merlinsen* et sinape, quod in campo crescit, eodem pondere, ut tormentilla ponderata est, atque herbam illam, in qua minutissimae filiantropos crescunt, minus, quam *merlinsen* sit, et haec in mortario ad succum terat et tritam in saccellum ponat atque praefatum mellitum et pulverizatum vinum superfundat[ur et] ex hoc velut *lutridranc* faciens. Qui autem praedictum dolorem patitur, potum istum, quantum uno halitu bibere potest, ieiunus bibat et simili modo ad noctem, cum se in lectum reponit, et hoc faciat, usque dum sanetur. Nam *vich* et de calidis et de frigidis malis humoribus nascitur, sed tamen magis de frigidis quam de calidis humoribus est. Unde calor cinamomi et calor salviae et calor feniculi et calor tanaceti et calor mellis ac calor vini et calor albi piperis vel calor nimmoli et calor sinapis campi et calor filiantropos cum frigiditate *merlinsen* et frigiditate tormentillae temperati iniuste calidos et iniuste frigidos humores, de quibus *vich* nascitur, minuunt, cum praedictum poculum homo sumit, scilicet ieiunus et cum dormitum vadit, quatinus ieiuno eosdem humores exsurgere vetet et pranso malos humores ciborum compescat.

De lumbricis. [2]) Si de noxiis et malis humoribus, qui in homine venenosi sunt, vermes in aliquo homine excre-

---

[1]) v. 4—22 = Migne 1136 D—1137 A; v. pag. 197. — [2]) v. 33—p. 210,9 = Migne 1169 A; v. pag. 211.

verint, ille succum ardentis urticae accipiat et succum blandoniae pari pondere et succum de foliis nuci, quantum illorum duorum est, vel si folia nuci non habuerit, de cortice eiusdem arboris tantum succi tollat ac modicum aceti addat et plurimum mellis et in nova olla fervere faciat et spumam superius abiciat; et postquam efferbuerit, de igne tollat et per quindecim dies istud modice ieiunus bibat, ne propter fortitudinem illius laedatur; sed post cibum sufficienter bibat, quoniam cibi fortitudini illius tunc resistunt. Cum enim calor ardentis urticae et calor blandoniae aequo calori et aequo frigori nuci contemperantur, et cum ita in potu sumuntur, ut praefatum est, virtute istorum vermes in homine moriuntur; sed acetum et mel his additur, ut propter saporem istorum sumi possit.

De pediculis. [1] Si quempiam hominem pediculi interius in corpore laedunt, ita quod ab eo non egrediuntur, fel anguillae accipiat, et ei ter minus de acerrimo aceto addat ac tantum mellis, ut istorum duorum est, et haec in sartagine coquat. Postea zinziber sumat et bis tantum longi piperis et simili pondere basiliam atque haec pulverizet et insuper ebur ad tertiam partem basiliae tollat et etiam de rostro vulturis ad mediam partem eboris et ad praefatum pulverem ab his scabendo radet; mox pulverem istum in praedictum acetum ponat et denuo simul fervere faciat. Quod cum fecerit, haec in saccellum ponat, quatinus per illum velut *luterdranc* transeat, et sic in novo fictili vase recipiat. Deinde idem homo, quem pediculi interius laedunt, ita quod ab eo non egrediuntur, potum hunc cotidie ieiunus bibat, et ad noctem, cum in lectum se reponit, pediculi in eo deficient et morientur, et sic arvina in ipso renovabitur. Calor enim ac amaritudo fellis anguillae pediculos debilitat et calor et acerbitas aceti eos macerat et calor ac siccitas eboris eos exsiccat ac rostrum vulturis, quod frigidum est et quod diversitate cadaverum inficitur et sudore cerebri eiusdem vulturis perfunditur,

---

1) v. 15—31 = Migne 1283 D—1284 D.

eos mortificat. Et etiam haec calore mellis et forti calore longi piperis, qui calore alii piperis fortior est, et frigiditate basiliae temperantur et alterato calore accenduntur et in fictile vas ponuntur, ne in mollitie putrescant; **in ieiuno et pranso sument pediculos extinguunt, quod cum homo ieiunus poculum hunc sumit, pediculos in eo citius extinguit, et cum pransus eum sumit, humores ciborum, de quibus pediculi nascuntur, attenuantur.

[*Contra lumbricos.* [1])Accipe succum *heithernezelun* et succum *wullene* pari pondere et succum de foliis nuci, quantum illorum duorum est, vel si folia nuci non habueris, tolle tantum succi de cortice eiusdem arboris, id est nuci, et modicum aceti adde et plurimum mellis et in nova olla fac fervere et spumam superius abice, et cum efferbuerit, de igne tolle. Et per quinque dies illi, qui patitur vermes in ventre, da in potu modice ieiuno, sed post cibum sufficienter bibat.]

De calculo. [2]) Qui calculum in se habet, recens fel iuvenis tauri accipiat et bis tantum de sanguine eius et haec exsiccet ac sumat etiam saxifricam et pulverizet eam et de pulvere hoc tantum tollat, quantum fellis huius est, et in subtilem panniolum simul liget et sic in forte et bonum ac purum vinum ponat atque ita frequenter ieiunus bibat et simili modo, postquam comederit, non autem infra cibum, quoniam a cibo consumeretur. Nam amaritudo fellis huius cum calore praefati sanguinis et cum frigiditate saxifricae atque cum calore vini temperata coagulationem calculi in homine dissolvit.

De lepra. [3])Qui de gulositate et ebrietate leprosus efficitur, stercus hirundinum accipiat et quater tantum de herba, quae lappa dicitur, rubeos flores habentem, et ex his pulverem faciat; arvinam quoque ciconiae accipiat et modicum plus arvinae vulturis et haec in sartagine frixet et hoc facto praedictum pulverem et modicum sulphuris

---

[1]) v. 9—17 = p. 210,1-9. — [2]) v. 18—25 = Migne 1323 C. — [3]) v. 29—p. 212,4 = Migne 1308 A – B.

huic arvinae intermisceat ac ex his hoc modo unguentum faciat et de hoc in asso balneo se perungi iubeat et deinde in lectum se collocet. Et sic usque ad quintum diem vel ad plures dies faciat. Cum enim calor stercoris hirundinum et frigiditas lappae cum calore arvinae ciconiae et cum frigiditate arvinae vulturis et calore sulphuris temperantur, putredines leprae huius aufert, quoniam stercus hirundinum eas dissolvit, pulvis autem filiantropos eas transmordet, arvina vero ciconiae et vulturis et amaritudo sulphuris eas extrahunt. Et sanabitur, nisi deus eum sanari nolit.

Item de lepra. [1]) Homo, qui de iracundia lepram contrahit, vadat in locum, ubi sanguis modicus equorum in terram defluit, cum sanguis eorum in vena minuitur, et ubi munda animalia occiduntur, et ipsum sanguinem cum terra eodem sanguine infecta tollat. Deinde sanguinem istum cum terra, super quam effluxerat, mixtum in caldario cum aqua fervere faciat et sic balneum sibi praeparet, ita tamen ne tanta sit aqua, quod sanguini illi vires auferat, sed ut sit usque ad guttur suum; et ita in balneo sedeat. Sed et de eodem sanguine et de eadem terra modico saccello immittat, quod in faciem suam ponat, si ibi dolet. Qui cum de balneo exierit, in lectum se reclinet atque eundem saccellum cum praedicto sanguine et terra super cor suum ponat, ne debilitetur et ut nocivum sanguinem a corde suo depellat. Et sic quater vel quinquies vel amplius faciat. Nam calor sanguinis huius cum temperamento terrae hoc sanguine infectae leprae resistit, velut inimicus inimicum superat; haec autem difficilia homini videntur, quoniam natura hominis naturae animalium contraria est, et quod homo sanguinem animalium abhorret. Et homo iste sanabitur, aut deus eum sanari non vult.

De incontinentiae lepra. [2]) Si homo de libidine aut

---

[1]) v. 12—27 = Migne 1319 C—1320 A. — [2]) v. 34—p. 213,11 = *Migne* 1176 D—1177 A.

incontinentia leprosus efficitur, agrimoniam accipiat et secundum eius tertiam partem ysopum ac aseri bis tantum, ut istorum duorum est, et herbas istas in caldario coquat et sic balneum ex his faciat ac menstruum sanguinem, quantum habere poterit, admisceat et ita balneo se imponat. Sed etiam de arvina anseris quantum voluerit, accipiat et bis tantum arvinae gallinarum ac modicum stercoris gallinarum et inde unguentum faciat. Et cum de praedicto balneo exierit, eodem unguento se perungat ac in lectum se recollocet. Et sic frequenter faciat, dum sanetur. Calor namque agrimoniae et frigiditas ysopi ac calor aseri cum calido menstruali sanguine temperatus putredinem istius leprae aufert. Agrimonia enim et ysopus ac aserum eam exsudare faciunt, menstrualis autem sanguis eam opprimit et concutit, velut inimicus inimicum suum, quia illa de diversis humoribus mulierum egreditur. Sed arvina anseris et arvina gallinarum eam leniter unguit et sanat, stercus vero gallinarum sordes, quae residuae sunt, extrahit, et sic ille sanabitur, aut deus non permittet.

De gutta. [1]) Homo, qui mollem carnem habet et de superfluis potationibus de gutta, id est *gich*, in aliquo membro suo fatigatur, petrosolinum accipiat et quater tantum de rutha et in patella de oleo olivae frixet, vel si oleum hoc non habuerit, cum hircino sepo infrixari faciat, et herbas istas ita calidas loco, ubi dolet, imponat et panno desuper liget. Nam frigiditas succus petrosolini inundantes humores guttae compescit, calor autem acerbi succi ruthae eosdem humores constringit, ne supra modum grossentur, oleum autem aut hircinum sepum eos pertransit et dissolvit, et ita faciunt, cum simul temperantur, ut praefatum est.

De scrofulis. [2]) Si quis *orfune* in corpore suo habet, antequam rumpantur, accipiat *huflathcha*, maiores scilicet, quae exterius albae et interius virides sunt, et iuxta caudam abrumpat secundum latitudinem *orfune* et cetera abiciat

---

[1]) v. 21—26 = Migne 1159 B. — [2]) v. 32—p. 214,4 = Migne 1165 C; 1206 A—B.

et super illud, quod retinuit, mel lineat et sic per tres dies et per tres noctes super *orfune* ponat, et cum illud exsiccatur, iterum novum eodem modo paratum superponat, et *orfune* minorari incipient. Quarta autem die <similam> de triticea farina accipiat et illam cum melle *cnechde* ad latitudinem earundem *orfune* et eis primum acoleiam superponat et desuper eundem *deich* et sic per novem dies faciat. Et cum *deich* ille exsiccatur, eum cum novo <melle> iterum renovabit. Et sic faciat, dum evanescat.

De claudicatione. [1]) Si quis in aliquo loco membrorum suorum claudicare incipit, dictampnum accipiat, et quod in medio velut cor est, abiciat, et quod remansit, fortitcr in aqua coquat, ac interim dum ita coquitur, bis tantum, ut dictampni est, *hůsmůses* addat et bis tantum urentis urticae, ut *hůsmůses* est, et haec simul in aqua coquendo commisceat. Et postquam cocta fuerint, aqua modice expressa ita calida super iuncturam membri illius et super venas eius, in quibus homo claudicare incipit, ponat, et cum infrigidari incipiunt, iterum calefaciat et desuper ponat, atque hoc saepe faciat. Quod autem in medio dictampno est, quod aridum est, abicietur, et calor reliqui dictampni, cum torpore *hůsmůses* temperatur, malos humores, qui membro hominis debilitatem inferunt, fugat, et calor urentis urticae eosdem humores corrodit, ut minuantur, cum in suavitate calefactae aquae temperantur, ut praedictum est; et sic ille curabitur, nisi deus nolit.

De febre acuta. Homo, qui modicum comedit et multum bibit, in acuta febre laborans aquam bibat, ne si vinum bibat, magis et magis inardescat et inde plus accipiat; aquam autem aut frigidam aut calefactam et deinde infrigidatam bibat et suavius dolebit, quod eum refrigerat et ardentem calorem in eo extinguit, quoniam, si aqua calida esset, ardorem acutae febris accenderet.

Item de febre acuta. [2])Postquam acuta febris ho-

---

[1]) v. 10—20 = Migne 1177 B. — [2]) v. 34—p. 215,23 = Migne *1237 D—1238* D.

minem invaserit, hoc remedium faciat, ut deinde aliquantum lenius habeat et ut aliquantum usque ad sudorem suavius doleat. Accipiat ergo modicum de sicco ligno *ahorn* et bis tantum de sicca salice et non viridi, atque in frigidam aquam quasi scalpens modicum de his abradat et etiam tantum agrimoniae, ut salicis est, accipiat et eidem aquae imponat et eam hoc modo confectam frequenter bibat, et lenius dolebit. Nam sicca *ahorn* et sicca salix esse debet, ne recens succus eorundem lignorum dolentem plus laedat quam remedium afferat, et lenitas succi *ahorn* amaritudinem succi salicis temperat. Itaque frigiditas lignorum istorum iniusto calori acutae febris hoc modo resistit, et suavis calor agrimoniae eundem calorem acutae febris retinet, ne augmentetur, et hoc in frigida aqua erit, et non in calefacta nec in vino, ne aut calefacta aqua aut calore vini calor acutae febris in furorem vertatur. Hoc autem remedium idem homo faciet a prima hora seu a prima die accessionis febris huius usque ad sudorem suum. Quod si remedium istud, usque dum febris haec roborata fuerit, distulerit vel prope finem eius, scilicet ad quintam vel ad sextam diem, cum iam idem homo aut cito sudorem ad sanitatem emittet aut cito vitam perdet: tunc praedictus potus ad remedium non multum proderit, quoniam aeger ille aut citius sanitatem recipiet aut mortem subibit.

De cotidiana. [1]Qui cotidianam febrem patitur, *dost* accipiat et gamforam et dornellae plus quam istorum duorum sit, et haec pulverizet atque pulverem istum in ipsa accessione febris calido vino immittat et sic illud bibat atque in lectum se collocet et dormiat. Calor enim *dost* et gamforae cum frigiditate dornellae temperati et in ipsa accessione febris huius, quatinus tanto citius sedetur, cum calido vino sumpti praedictam febrem fugant.

Ad tertianam. [2]Homo, quem febris secunda die fatigat, millefolium accipiat <ac> bis tantum polipodii et

1) v. 25—29 = Migne 1175 A. — 2) v. 33—p. 216,6 = Migne 1175 D.

in suavi et bono vino eas coquat ac sic per pannum colat atque in ipsa accessione eiusdem febris vinum hoc bibat, herbas autem istas ita in vino per triduum dimittat, quatinus idem vinum ab eis tanto melius temperetur, et sic per triduum bibat, et si necesse fuerit, eas iterum similibus novis herbis renovet. Nam calor millefolii et calor polipodii cum alterato calore vini temperati et, <ut> praefatum est, in potu sumpti febrem istam mitigant.

Item ad tertianam. [1] Qui tertianam febrem patitur, ***hůn*** accipiat et minorem ***huflathdecha*** aequali pondere ***hůnes*** et ter tantum de refano ut istorum duorum est, et in vino coquat ac per pannum colet; atque gariofel sumat et bis tantum galangae et zinziberi tertiam partem, ut istorum duorum est, et haec in pulverem redigat atque ex his cum praedicto vino, quod per pannum colavit, purum potum faciat et illo in ipsa accessione atque sequentibus novem diebus utatur, ut plenius adiuvetur. Nam calor ***hůn*** et frigus minoris ***huflathedechae*** cum calore rafani et calore gariofel et calore galangae et cum bono calore zinziberi temperata et in potu sumpta praefatam febrem fugant.

Ad quartanas. [2] Si quis febres quartanas patitur, rubiam et herbam veprium aequali pondere accipiat et <***brachwurz***> ter tantum, ut istorum duorum est, atque in vino coquat. Deinde clarum et optimum vinum in patellam fundat et huic ignitum calibem ita ferventem immittat, ac secunda vice eidem vino in eadem patella iterum eundem ignitum calibem immittat, et hoc decies cum eodem vino et eodem calibe faciat. Postea sumat vinum illud, quod cum praedictis herbis coxit, et vino huic cocto, cui calibem immisit, infundat atque ita simul una tantum vice fervere faciat, et sic in ipsa accessione praedictae febris illud bibat et ita, dum sanetur. Cum enim frigiditas rubiae et calor herbae veprium et calor ***brachwurz*** cum alterato calore

[1] v. 9—17 = Migne 1203 C. — [2] v. 22—33 = Migne *1192 B—C.*

vini temperantur et iterum cum fortitudine et alterato calore calibis roborantur, ut praefatum est, febrem istam mitigant.

Contra vermem. Homo, quem vermis in aliquo loco corporis sui comedit, cretam accipiat et bis tantum de *cridum* et ex his cum acetoso vino velut tenue cementum faciat atque istud loco, ubi vermem patitur, cum penna immittat et hoc per singulos dies usque ad quartam diem faciat. Postea sumat aloe et secundum eius tertiam partem myrram et simul terat, atque ex his cum recente cera emplaustrum paret et cannibeo panno superponat et ita super locum doloris per duodecim dies liget. Nam creta calida est et crida frigida, et sic calor cretae cum frigiditate cridae et cum calore et acumine vini temperatus vermes mortificat; sed calor aloae cum calore myrrae augmentatus putredines eorundem ulcerum extrahit et eundem locum sanat.

[*De calibe.* Ut calibs fortis sit, eum in sanguine leonis aut hirci intinge. Quod autem adamans sanguinem hirci intinguitur, ut calibe incidi possit, ibi calibs hircinum sanguinem, in quo intinctus est, primum tangit, et sic fortitudinem capit et adamantem incidit.] Cum videris boves aut de noxio sanguine aut de forti labore infirmari, accipe conchas arenarum, quae in litore iacent, et eas in pulverem redige et pulverem istum cum herba illa, quae bathenia dicitur, in aquam mitte, ita quod de pulvere isto plus sit quam batheniae, et da eis in potum. Et aridum fenum eis interim ad comedendum dabis. Sed cum fluor reumatis de naribus eorum fluit, ita quod in gutture sonant, quasi tussim habeant, myrram et thus accipe, ita quod myrrae plus sit quam thuris, et super vivos carbones pone et in nares eorum fumum istum fumigare fac. In humida autem et leni aura, quod tunc facile infirmari incipiunt, *dille* et *suerthelum wurzela* accipe, scilicet *dille* plus quam *suerthelum wurzela* sit, atque pabulo eorum intermisce, ut comedant, et sanitatem in eis retinebunt, ne infirmentur.

De ovibus. Si oves infirmari incipiunt, accipe feniculum

et *dille*, ita ut feniculum *dille* excedat, et in aquam pone, ut aqua ab eis saporem accipiat, et da eis ad bibendum, et meliorabuntur.

[1]*De equo.* Si fluor reumatis de naribus equi fluit, ita quod inde *hůset*, *heiternezelum* et plus de *lubistikel*, quam *heiternezelum* sit, in aqua coque et *damp* istum ita calidum in nares et in os eius freno eius imposito transire permitte, et sanabitur. Quod si equus in ventre dolet, item *heiternezzelum* et plus de *libesteche*, quam *heiternezzele* sit, pabulo eius saepe intermisce, ut ita simul comedat, et curabitur.

De asino. Si asinus in capite dolet, ita quod *hůset*, accipe *asserum* de fago, id est cineres fagi, de quibus lexiva facta est, et cum idem cineres iam calidi sunt, *damp* illum in os et in nares asini illius transire facias, et curabitur. Quod si etiam asinus in ventre dolet, maiores *huflatheche* ad furfures in aqua modice calefactos incidendo, id est *scarbende*, misce et hoc saepe fac, et curabitur.

De porco. Cum porcus qualibet infirmitate gravatur, accipe conchas testudinis, id est *sneckenhus*, et modicum plus de *dille*, quam concharum istarum sit, et haec simul comminue et ita in *az* eius pone, ut comedat, et etiam *heiternezelum* in aqua coque et ita coctam cum eadem aqua *az* eius immisce, ut sic devoret, et hoc saepe fac, et curabitur.

De capra. Si capra aliquo modo infirmatur, folia de *eiche* ei sufficienter et saepe ad comedendum da, ut ita comedat, et hoc saepe fac, et curabitur.

[*Item de equo et bove.* [2]Si equo aut bovi aut asino venam incidere volueris in minutione sanguinis et si idem animal forte et corpulentum est, tunc, quantum picarium capere potest aquae, sanguinem ei minue. Si vero equus aut bos aut asinus debilis et macer fuerit, ad dimidium picarium sanguinem ei minue, scilicet secundum propriam crassitudinem et tenuitatem virtutis suae, et post minutionem

---

[1]) *v. 4—11* = Migne 1169 B. — [2]) v. 29—p. 219,10 = p. 127,20-27.

molle pabulum et aridum ac suave fenum ei ad comedendum dabis. Et tunc per duas septimanas aut per unam aut per quatuor dies post minutionem quiescat, quatinus vires suas recipiat, quod semper in labore est. Et tribus mensibus transactis in quarto mense eidem animali sanguinem in vena [ei] minue et non prius, nisi pro magna necessitate infirmitatis, quod tam mali humores in his animalibus non habundant sicut in homine.

De ove. Ovi sanguinem saepe in vena minue, sed tamen modicum sanguinis.

. . . . . [1]) Accipe *storkenabeles* radicem unam cum foliis suis et malvae radices duas cum foliis suis atque plantaginis septem radices cum foliis suis et herbas istas cum eisdem radicibus suis in medio mense Aprili. . .

De dolore linguae. [2])Si quis in lingua dolet, ita quod aut tumet aut *suiret*, eam cum modico flebotomo aut cum *brema* uno vulnere parumper incide, ut ibidem livor erumpat, et melius habebit.

De pectore. [3]) Si quis in pectore *hûset*, ita quod ibi primum dolere incipit, accipe salviam et *libestichel* aequali modo et feniculi bis tantum, ut istorum duorum est, et haec tam diu simul in bonum vinum pone, dum idem vinum saporem ex eis capiat, et tunc abiectis eisdem herbulis idem vinum calefac et ita calidum post cibum bibe, dum saneris.

Unde agezzele. Mali humores in quibusdam hominibus interdum *doum* faciunt, qui usque ad cerebrum eorum ascendit et illud ita inficit, quod ex hoc *agezzel* et obliviosi, id est *uergezzen*, fiunt. [4])Accipe ergo *heitheirnezzelum* et eam ad succum contunde et tunc ei modicum *boumolei* adde, et cum dormitum vadis, pectus tuum et tempora tua cum eo perunge et hoc saepe fac, et oblivio in te minuetur.]

---

[1]) v. 11—15 = p. 196,5-8. — [2]) v. 16—19 = Migne 1193 C = p. 122,20-22. — [3]) v. 20—26 = Migne 1186 B—C. — [4]) v 30—34 = Migne 1169 A—B; v. p. 195.

V.

De vitae signis. Cum homo sanus in corpore est, si oculos puros et perlucidos habet, cuiuscunque coloris sint, signum vitae tenet; ita, si oculi eius hoc modo perlucidi sunt, quemadmodum candida nubes est, per quam interdum velut *weitden* nubes apparet, et iste vivet nec cito morietur.

De oculis. Nam visus animae in oculis hominis huius potens est, cum oculi ipsius puri et perlucidi sunt, quoniam anima in corpore eius potenter sedet, quatinus plura opera in ipso operetur. Oculi enim hominis fenestrae animae sunt.

De oculis turbidis et signo mortis. Qui autem turbidos oculos habet, cum sanus est, ita quod oculi eius non sunt perlucidi, cuiuscunque coloris sint, signum mortis tenet; item, si oculi eius hoc modo turbidi sunt, velut aliqua nubes est, quae superius ita spissa est, quod sub ea quasi *weithden* nubes considerari non potest, et iste cito infirmabitur et mors subsequetur. In visu enim oculorum hominis istius anima potens non est, quia pauca opera ibi operabitur et quasi obnubilata sedet, velut homo, qui in opinione et in dubio est, quando sedem suam deserat et quando domum suam egrediatur.

De signis vitae. Homo etiam cum sanus est, cuius color in genis sub cute rubeus seu moderate rubeus est, ita quod color iste sub cute cernitur, ut in pomo, quod perlucidum et purum est: signum vitae habet, cum rubeus color in genis eius sub cute videtur, ut in candida nube evenit, per quam interdum *weitden* nubes apparet. Et iste vivet nec cito morietur. Nam rubeus color, qui sub cute in genis hominis apparet, ut praedictum est, igneum spiramen vitae, scilicet animae, est, quod anima ignis est. Et ideo in genis ostenditur, quoniam anima in corpore illo secura sedet et cito exitura non est.

De signo mortis. Cum autem homo sanus est, si tunc rubeus seu moderate rubeus color in genis eius super cutem iacet, ita quod nulla cutis sub eadem rubedine in genis considerari potest: signum mortis habet, cum rubedo in genis eius tam fortiter pressa super cutem iacet, quod

sub ea cutis videri non valet, ut in rubeo pomo, sub cuius rubedine nulla cutis videtur, sed tantum superius quaedam rubedo; et iste cito infirmabitur, et mors subsequetur. Rubeus enim color iste in genis super cutem iacens igneum spiramen vitae animae est, quoniam anima in homine illo vim suam extra corpus suum demonstrat et se in corpore debilem et incertam ostendit, velut homo, qui interdum ad ianuam domus suae procedit, cum de ea egressurus est.

Item de signo mortis. Vox quoque, quae semper serena in aliquo homine fuit, et cum ille adhuc sanus atque in firmitate est, si tunc eadem vox in aliquam raucitatem mutatur, ita quod homo ille tunc raucus manet in consuetudine absque aliqua infirmitate: mortem significat, velut si serena bucina, quae claram vocem semper reddidit, aliquo modo corrumpitur, in raucitatem vertitur. Nam ubi vox in homine semper serena fuit, hoc impetus scientiae fecit, quoniam in sede sua diu manere debuit, unde et idem homo sapiens est; qui si absque infirmitate in immobilem raucitatem vertitur, ibi anima praeparat se ad iter hoc, quod corpus suum deserat; et vox, quae rauca, id est obumbrata, in homine sano semper fuit in consuetudine absque infirmitate illius, si tunc in serenitatem mutatur, ita quod homo ille postmodum serenam vocem in consuetudine habet absque alia infirmitate: mortem designat, velut si inutilis bucina, quae semper rauca fuit, aliquo modo in serenitatem coercetur, serenam vocem compulsa ad horam reddit, quae tamen cito cadit et silet. Ubi enim vox rauca in homine est absque infirmitate illius, ibi anima intra corpus illud plus in secreto quam in aperto extra idem corpus operatur; unde et idem homo astutus est. Sed si eadem vox absque infirmitate in stabilem serenitatem mutatur, ibi se anima cito exituram ostendit, cum se extra idem corpus aperte demonstrat, cum prius in eo silenter operabatur. Sed et cum homo in lectum deiectus infirmatur, qualicunque infirmitate detineatur, si caro in facie sufflata est, ut caro faciei dormientis hominis, cum de somno surgit, et si oculi eius perlucidi sunt, ut cisterna,

et aliquantum aquatiles, iste sine dubio de infirmitate non convalescet, sed morietur. Nam quod caro faciei hominis huius inflata est, hoc de diversis infirmis humoribus est, qui se in facie illius ostendunt; quod autem oculi eius perlucidi sunt, ut praedictum est, hoc ideo est, quod anima ignem suum in eisdem oculis demonstrat; quod vero aliquantum aquatiles sunt, hoc ideo est, quod ignis animae flammas suas ad exitum producit, quod de eodem corpore cito exitura est. Qui autem faciem aliquantum inflatam habet, ut dormiens homo, et si etiam oculi eius perlucidi sunt, sed tamen aquatiles non sunt, hic in magna angustia et in magno periculo mortem vix evadet; faciem enim infirmi huius mali humores inflant, sed oculi eius perlucidi ignem animae in se esse demonstrant, sed si aquatiles non sunt, ibi anima flammas suas ad exitum non producit, sed eas ad vitam reservando subtrahit.

De vitae signo. Quod si oculi eius sunt perlucidi, sed aliquantum turbidi et multum aquatiles, cito convalescet et vivet. Nam quod oculi infirmi huius perlucidi non sunt, hoc ideo est, quoniam anima ignem suum ad exitum in eos non misit; quod vero turbidi sunt, hoc de superfluitate sanguinis est, qui se ibi ad vitam ostendit; et quod multum aquatiles sunt, hoc inde est, quod idem superfluus sanguis de spumando se purgat et tabem de se ad vitam emittit.

De mortis signo. Homo etiam, qui semper in consuetudine sapiens et prudens fuit, cum sanus in corpore esset, si iste infirmitate desipit, ut homo, qui in mente sua exterritus est et in eadem insipientia permanserit, morietur, et non vivet. Quod enim iste in consuetudine sapiens et prudens fuit, hoc velut de pennis rationalitatis animae erat; qui dum in infirmitate stabiliter desipit, anima pennas rationalitatis subtrahit et se ad exitum praeparat.

De vitae signo. Qui autem semper sapiens et prudens de pennis rationalitatis animae fuit, cum sanus erat, si infirmus in lecto desipit, anima in rationalitatem quasi de vita se subtrahit; et si tunc deinde in eadem infirmitate

ad priorem prudentiam in stabilitate repente redierit et illam ita tenuerit, anima pennas rationalitatis, quas prius ostendit, iterum nunc ad vitam demonstrat, et sic ille mortem vix evadet.

Item de mortis signo. Sed et ille, qui in consuetudine semper insipiens et imprudens fuit, cum sanitatem in corpore habuit, in illo anima pennas rationalitatis ad perfectum non ostendit; et si in infirmitate sic intelligibilis et in eodem intellectu permanserit, cum in lecto infirmus decumbit, morietur et non vivet, quoniam anima intellectum et vias, quas in alia vita habitura est, iam in exitu suo manifestat. Qui vero, cum sanus esset, semper insipiens et imprudens fuit, quod anima in ea pennas rationalitatis ad plenum non expandit, et infirmus intelligibilis fit: anima ad intellectum et ad vias alterius vitae se praeparat; sed si deinde in ipsa infirmitate ad priorem insipientiam repente redierit et in illa sic permanserit, mortem vix evadet, quoniam anima ad consuetum locum et ad consuetum statum, quem prius in eodem corpore habuit, se iterum recipit, quod de illo nondum exibit.

De pulsu et vitae signis. In quacumque enim ininfirmitate homo in lecto iaceat, si in vena in dextro brachio eius pulsum ordinate et temperate dat, ut homo, qui halitum suum ordinate et temperate introrsum trahit et emittit: vivet et non morietur. Nam quamvis magna infirmitas de ardentibus febribus humorum in homine sit, anima tamen ordinate modum spiraminis sui in se retinet, cum de corpore exitura non est, et ideo pulsus venae ordinatus et temperatus est, quod anima venam ad exitum non movet.

Item de mortis signis. Si autem vena in dextro brachio infirmantis hominis festinat, ut homo, qui iam praeparando suffocatur, et nullo ictu cessat: hic moritur, quoniam anima ad exitum cogitur; et tunc illa blande venam movet et se ab illa solvit, unde pulsus eius ad mortem tunc festinat.

Item de vitae signis. Sed si eadem vena inter hanc

festinationem unum ictum aut duos ictus ordinate dederit et iterum deinde festinat, ut prius festinavit, anima in festinatione illa angustias ad exitum se habere ostendit, et idcirco venam illam festinanter movet; sed unum ictum aut duos ordinate demonstrat, quoniam in homine ille vitae recordatur et ad vitam praesentem se retorquet, et ita homo ille non moritur, sed vivet. Sed in dextro brachio pulsus venae praecipue considerandus est, quod haec signa, quae vitam et mortem praetendunt, in dextro brachio praecipue notari possunt, quoniam maxima virtus in dextra est et ipsa semper operatur; in sinistro vero quasi torpor est et in ipsa nihil operatur. In inflexione quoque dextri brachii et in inflexione dextri cruris, scilicet sub genu, pulsus venae discerni veraciter potest, quod ibi fortitudo animae est. Nam anima iuncturas membrorum in potestate sua fortiter tenet, et cum corpus exitura est, easdem iuncturas solvit, et ideo pulsus eorundem venarum procellas ad mortem in se ostendit; si vero anima exitura non est, quamvis corpus hominis multum doleat, pulsus venarum earundem iunctarum quietus et ordinatus est, quoniam anima ad exitum se non praeparat.

De urinarum significationibus. Quidquid homo bibet, sive vinum sive cerevisiam sive medonem sive aquam, quaelibet urina qualitatem sive sanitatis seu infirmitatis ostendit, de quocumque potu procedat; nec urina ista melior illa est, quod omnes urinae de faece sunt, quamvis potus iste pretiosior illo sit.

De dissuria. Homo autem, qui urinam retinere non potest, illi stomachus frigidus est et vesica, et ideo potus in eis ad perfectum coqui non poterit, et antequam in eis coquatur, ut tepida aqua effluit, velut si aqua ad ignem ponatur et de illo calescere inceperit, superius effluat, antequam ferveat; sicut etiam in infantibus est, qui urinam retinere non possunt, quoniam nec stomachus nec vesica eorum perfectum calorem habent, sed frigiditatem.

De paralysi. Sed si homo frigidus et paralysim habens *est, cum* in lecto in infirmitate decumbit, huius urina

alba est, ut ebullitio novi musti, et spissa, ut vinum est de motu, cum ducitur. Nam quod frigus et paralysis in eo semper in motu sunt, ideo urina eius ut ebullitio musti alba et spissa est, cum infirmatur. Nam de frigore alba est, quoniam calor aut ruborem aut alium colorem urinae infert, et spissa est, quoniam humores in eodem homine destructi sunt nec rectum iter habent, quemadmodum cum aqua in procellis inundat et inspissatur; et si moriturus est, tunc spissitudo urinae eius ad fundum cadit, quoniam humores in eodem homine se separant et se ad mortem praeparant, et eadem urina superius pura remanet, quod tabo a sanguine separata est; et tabo superior est, et sanguis ad fundum cadit atque inter superiorem puritatem et inferiorem spissitudinem est ipsa ut infrigidata aqua, quae cito congelabitur, et est etiam ut iam cadens nix, quod a se ab invicem bene discerni possunt, quod flegma est, quod sicut recens glacies infrigidatur, et quod sicut nix exsolvitur vel siccatur, quoniam a sanguine et ab humoribus separatur. Et haec signa mortis sunt, velut etiam montuosae et variae ac nigrae et griseae nubes tempestatem saepe designant. Quod si nec puritas nec spissitudo nec ut iam recens et imperfecta congelatio nec ut iam cadens nix qualitates eiusdem urinae a se singillatim separatae sunt, ut praedictum est, sed si invicem sibi intermixtae sunt, ita quod singillatim discerni non possunt: vivet et convalescet; velut magnae tempestates non erunt, cum aequales nubes in caelo aequaliter apparent. Nam tabo et sanguis ac flegma in eodem homine simul coniuncta sunt, et ideo homo ille tunc non moritur, sed si in eadem urina modica puritas superius apparuerit et nullum signum quasi iam cadens nix, tunc idem homo multum dolet et vix mortem evadet, quoniam tabo a sanguine et a flegmate ad plenum separari non potest, quod modica puritas superior est, cum nulli *plocke* inferius videntur. Et sic homo ille vivet. Qui autem acutas et fortes febres habet, huius urina de ardore ferventis sanguinis rubea et spissa est, quod propter rubentem fervorem

sanguinis humores iacent, velut in dormitione sint, nec officia sua exercent; et ideo *gefeime* eorundem humorum ad fundum descendit et sanguineus est, quoniam in rubore et in fervore suo motus est. Et haec acuta febris nec appetitum nec gustum ciborum sentit, quod humores officia sua non implent. Sed si aliquis homo hanc acutam febrem habet, cupidus in cibis est, et si modum suum in comedendo excedit, febris haec tanto plus furit, quoniam humores in officiis suis non sunt. Quod si potum requirit et si multum bibit, ex hoc non laeditur; quod si non biberet, exsiccaretur. Et si pridem ardentis complexionis erat, vinum in hac peste bibitum ipsum laedit. Unde tunc aquam bibat. Si vero, antequam infirmaretur, frigidae complexionis fuit, tunc si in hac infirmitate vinum bibit, ipsum non laedit. Et si moriturus est, urina eius varia liniamenta in se ostendit, quasi findatur velut glacies, quae in solutione finditur; et has varietates humores faciunt, quod se ad mortem illius separant, et quod in ipsis varietatibus vias morti praeparant; ac superius modice pura est, quoniam a tabe et a sanguine separata est; sed a fundo usque ad puritatem illam spissa est urina, quoniam humores ad mortem in descensu iacent nihil operantes. Quod si nec liniamenta nec puritas nec spissitudo in eadem urina a se singillatim separata sunt, ita ut separatim videri possunt, sed si ita intermixta sunt, quod discerni non possunt: vivet et convalescet, quemadmodum multae periculosae tempestates non oriuntur, cum nubes in caelo aequaliter apparent. Nam tabo et sanguis et humores se ab invicem non separant, sed ad vitam sibi coniuncta sunt. Sed si in eadem urina quaedam varietates videntur, sed non per totam urinam, humores aliquantum separari incipiunt. Sed ad plenum hoc non perficere possunt. Et si in eadem urina superius modica puritas est, tabo ab humoribus separari incipit, et si tunc subtus nulla varietatis liniamenta discerni possunt, humores ab invicem se non separant, et ideo homo ille vivet. Sed tamen quaedam spissitudo inseparata ibi apparet, quod humores ab in-

vicem separati non sunt; tunc homo ille multum dolet et mortem vix evadet.

De malis humoribus. Et quidam homines sunt, qui nec dolorem stomachi nec dolorem lateris patiuntur, sed qui alios malos humores in se habent; hi cum morituri sunt, interius arescunt, quod repentinus stupor repentinae pestis, videlicet maioris complexionis, in eis arripit, et idcirco in semetipsis arescunt. Et horum urina rectum colorem, cum in urinali excipitur, habet, quod prius sani fuerunt; et cum eadem urina suscepta fuerit, item relinquatur in urinali, usque dum infrigidetur. Et si homo ille moriturus est, ipsa urina, cum infrigidata fuerit, mox pallescit, quoniam idem homo per ariditatem interius frigidus est, et circa finem pura est, quoniam tabe ab humoribus et a sanguine separatur, et superius erit, velut modico pulvere aspersa sit, quod humores hominis exterriti sunt, et velut pulverem de se emittunt, cum ad mortem se praeparant, quemadmodum pulvis dispergitur, cum tangitur; et hoc signum mortis est. Quod si eadem urina non pallescit et circa finem pura non est, et si etiam superius non erit, velut modico pulvere aspersa sit, sed non aequalis est: vivet et convalescet, (quemadmodum grandes tempestates non fiunt, cum aequales nubes in caelo aequaliter apparent,) quoniam tabo et sanguis et ceteri humores, qui in eodem homine sunt, ad mortem nondum ab invicem separantur. Et si eadem urina aliquantum rubea est et circa finem pura ac superius in medio velut pretiosum vinum, quod quasi modicum sagiminis superius natare in se ostendit, procul dubio homo ille multum dolet et mortem vix evadet. Nam in infirmitate hac rubea urina ostendit, quod sanitas eiusdem hominis finienda non est, quod eadem sanitas infirmitatem eiusdem hominis calore pertransit et incalescere incipit; et ita urina haec rubea efficitur. Sed quod circa finem pura est, tabem ab humoribus et a sanguine separari demonstrat, et quod superius velut bonum vinum in medio inunctum est, quasi modicum sagiminis supernatet, dolorem iecoris indicat, quod de superflua

pinguedine dolet. Unde etiam signum, id est spumam eiusdem pinguedinis eicit. Et sic magnam infirmitatem e periculum eadem urina quidem ostendit, sed tamen rubo eius vitam quasi vix haerentem ostendit.

De cotidiana. Homo, qui cotidianas febres habet, s urina eius spissa est et si etiam colorem habet similem colori vini, cito convalescet. Nam cotidianae febres d iniusta commotione humorum nascuntur, unde et urin hominis illius spissa est, quod humores iniuste moti sunt et etiam eaedem febres ab iniusta digestione oriuntur, cum aut egestio iniuste dura aut iniuste solubilis est; et ideo urina eiusdem hominis quasi colorem vini, quod mutatum est, ostendit. Si autem urina haec pura et lucida est secundum aquam, morietur, quoniam sanguis eiusdem hominis in frigus versus est, et ideo ceteri humores simul confluunt, velut lac coagulatur, quod calorem et sanguinem non habet; unde etiam eadem urina pura et lucida est, quoniam cum humoribus mixta non est, quod illi officia sua non exercent. Quod si urina haec aliquantum pallida et spissa est et aliquantum aquosa, homo ille multum dolet et mortem vix evadet. Nam quod idem homo frigus intra se habet, urina eius pallida et aliquantum aquosa est, et quod etiam humores in eo velut procella quasi ad mortem inundant, eadem urina spissa est, et ideo etiam idem homo diu dolet, sed tamen ad mortem non perveniet.

Item de tertiana. Qui autem tertianas febres habet, si urina eius, cum iam excipitur, sanguinea est, sed si de rubedine sanguinis non mutatur, sed si ita rubea permanet, et si etiam spissa fit: non moritur, sed diu languet. Humores enim in homine illo in ferventem ardorem versi sunt, et ideo urina eius sanguinea est et propter fortitudinem eiusdem ardoris in rubore illo durat. Et quod idem humores in homine illo fervent, digestio eius recta et naturalis esse non potest, unde et succus eiusdem urinae aliquantum commiscetur; et ideo est spissa. Sed idem homo ob hanc infirmitatem diu languet, sed non moritur, *quod humores* in eo ab invicem se non separant. Et cum

eadem urina in urinale noviter excepta est et rubea est, si tunc deinde aliquantum in pallorem mutatur, et si etiam in ea varia liniamenta ut venulae apparent, scilicet rubeae et aquosae ac turbidae: signum mortis est, et morietur. Nam urina, quae propter ardorem et calorem eisdem hominis rubea est, si in pallorem vertitur, vires fortitudinis caloris ad plenum non habet, quoniam idem homo interius infrigidatus est; et tunc etiam varia liniamenta diversi coloris in urina illa apparent, quod humores in eodem homine ab invicem separantur, qui diversos colores secundum officia sua habent; scilicet rubei, quoniam calor et sanguis a frigidate separantur, aquosi autem, quod tabo et sanguis de sanguine et de calore secedit, turbidi vero, quoniam melancolia et similes humores ab invicem separantur. Quod si eadem urina varia liniamenta a diversis humoribus habet, sed si in ea rubea liniamenta non videntur, sanguis et calor eius adhuc commixti sunt et non separati; unde etiam adhuc vitam ostendit; sed homo ille multum dolet et mortem vix evadet.

Item de quartana. Qui vero quartanas febres habet, si urina eius spissa est et rubea et si varia liniamenta in ea apparent ut venae: homo ille dolet, ita quod aridus fit, sed tamen vivet. Nam si urina hominis huius spissa est, digestio eius ad urinam se commiscet, et ideo illa inspissatur; et si rubea est, calor adhuc in sanguine manet nec se a sanguine separat. Si autem varia liniamenta habet, diversi humores adhuc sibi cohaerent; et ita homo ille de infirmitatibus istis quidem arescit, sed tamen, quod solutio humorum in eo nondum est, vivere poterit.

De signo mortis in urina. Si autem urina fuerit alba ut venenum et similis coagulato lacti et si in medio sui est similis nubi, quae purpurea et alba atque turbida est: signum mortis est, et morietur. Urina enim alba ut venenum et similis coagulato lacti ostendit, quod naturalis calor ab eodem homine recessit, quapropter et urina eius alba est; et ideo etiam venenosa, quae in humoribus illis

fuerunt, coagulantur, quod rectum calorem non habent; et etiam in medio sui est ut nubes, quae purpurea et alba et turbida apparet, quoniam melancolia in medio humorum quasi in fortitudine eorum est; scilicet purpurea, quod colorem suum quasi in vulnus vertit, cum iam solvitur; et alba, quoniam ab invicem diffluit venenum eius** apparet et quod in fortitudine eius deficiat demonstrat; et turbida, quoniam malum et naturalem fumum, quem prius in se habuit, nunc emittit. Quod eadem urina similis est nubi, quae purpurea et alba et turbida est, ut praefatum est, et si tunc etiam circa finem suum aliquantum pura est, ita quod per omnia spissa non est: homo ille multum dolet et mortem vix evadet; sed tamen citius convalescet quam ille, cuius urina rubea est. Nam urina purpurea melancoliam vulneratam demonstrat, et alba eam iam in defectu esse ostendit, et turbida illam fumum suum ad defectum emittentem manifestat; sed circa finem suum puritas, ita quod in medio et non per omnia spissa est, declarat humores hominis illius ad plenum adhuc a se invicem separatos non esse, cum circa finem eiusdem urinae puritas est et in medio eius spissitudo, quoniam idem humores adhuc sibi cohaerent. Et ita homo ille mortem evadet et sanitatem citius recipiat quam homo iste, cuius urina rubea est, quoniam ille interius magnum ardorem habet, de quo cito solvi non poterit.

De fluminum diversitate. Sed notandum est, quod aqua fluminum secundum temperiem aeris mutatur. Cum enim magnus ventus est, procellae in undis et in terrore oriuntur. Et cum sol in fervore suo ardet, aquae fervent et spumam habent. In tranquillo autem et temperato aere aquae lenes sunt et quietae ac pulchrae. Sic etiam in urina hominis est. Nam cum periculosa infirmitas ut magnus ventus in homine surgit, ita quod anima illius a corpore solvatur, magnae etiam procellae in urina eius multiplicantur. Cum autem nimius fervor humorum in homine est ut ardens sol, tunc etiam urina in homine *secundum* calorem et ardorem in eo apparet. Cum enim

homo in recto et in tranquillo modo corporis sui est, tunc etiam urina eius secundum rectam temperiem demonstratur.

De urinae inspectione. Urina autem infirmi ad considerationem sospitatis aut infirmitatis suscipienda est, cum ille post dormitionem evigilat, quod urina eius tunc recte temperata et colorata est secundum qualitatem eiusdem infirmi. Nam cum homo dormit, in quiete sine ulla motione est, et ideo humores et sudor, qui in eo sunt, ad qualitatem suam currunt, secundum quod tunc homo se interius habet. Si autem infirmus dormire non potest, tunc ad considerationem qualitatis eius urina ipsius suscipiatur, quam in nocte emittit, vel quam circa crepusculum diei eicit, quod temperies noctis vel temperies, quae circa ortum diei est, humores, qui in illo sunt, qualitatem, quae in ipso est, aliquantum composuit.

De terrae immobilitate et egestionis discretione. Terra autem et limus immobiles sunt, ita quod ab aura moveri non possunt; sed aliquantum odorem emittunt, cum aut pluvia iam descendit aut cum iam in proximo pluvia descendere debet; et sic fit in egestione hominis. Nam in egestione perfecta signa vitam et mortem praesignificantia cognosci non possunt, quod egestio hominis ut terra immobilis est. Sed tamen in foetore eius vita aut mors hominis aliquantum discerni potest, sed tamen cum difficultate et raro. Attamen si egestio secundum consuetudinem suam multum foetet, ut semper foetere solet, non est signum mortis, quod calida putredo in foetore illo apparet; si autem eadem egestio non multum foetet et si idem foetor, quam tunc habet, alienus est a consuetudinali foetore: signum mortis est, quod calor in putredine illa deficit et quoniam in alienum modum versus est, cum etiam humores in eodem homine eversi sunt. Quod si etiam ipsa egestio nigra et arida est, signum mortis est, quod melancolia eandem digestionem in nigredinem et in ariditatem evertit, ubi humores eiusdem homines ad mortem se praeparaverunt. Si autem egestio nigra et arida est et

tamen secundum rectam consuetudinem foetet, homo ille vix evadere potest mortem, quamvis melancolia in nigredinem et in ariditatem egestionis hominis defectum suum ostendat, cum idem homo interius aliquantum in nigredinem et in ariditatem per melancoliam versus rectum tamen calorem in foetore eiusdem putredinis declaret. Si vero alienum foetorem a consuetudinali foetore habet, mortale est signum, quoniam rectus calor hominis in defectum putredinis illius subtractus est.

De aquarum diversitate et balneorum. Non autem est utile [nec] homini frequenter in aqua balneare, nisi macer et aridus sit, qui facile infrigidatur et facile incalescit, quod tenues carnes habet; et iste in aqua balneet, ut aliquantum calorem corpori suo adhibeat et ut corpus suum humectet. Illi vero, qui pingues carnes habet, balnea aquarum obsunt, quod interius calidi et humidi sunt, et ideo si corporibus suis maiorem calorem et humiditatem addunt, corpus eorum laedunt, nisi forte rarissime balneis in aqua utantur, ut lutum tantum abluant et cito exeant. Aquae vero, quae bonae sunt ad potandum, bonae sunt ad balnea; sed modice calefiant, et ita homo in eis diu sedere potest, si vult, quoniam infirmitatem homini non inferunt sed bonum et pulchrum colorem ei dant. Sed aquae, quae malae sunt ad potandum, malae sunt etiam ad balnea. Quod si necesse fuerit, ut aliquis balnea in istis accipiat, fortiter coquantur, ut livor, qui in eis est, per coctionem minuatur, et brevi hora homo in eis sedeat, quoniam sanae non sunt. Sed et aquae pluviarum aliquantum acres et acutae sunt, quod nubes et aer pluviam de diversis fluminibus bonis et malis et de humore terrae sursum trahunt, et ideo sanae non sunt. Et aquae istae per aerem velut lexiva per cinerem descendunt, unde etiam acres et acutae efficiuntur; et si calefiunt, ita quod homo balnea in eis accipere vult, acumine suo cutem eius transeunt et eum aliquantum laedunt. Aquae quoque nivium aliquantum turbidae sunt, et si quis homo balnea *in ipsis* accepit, malos humores et scabiem inde sibi forte

attrahit, quoniam aquae nivium de squamis elementorum et frigoris et de sorde terrae sunt. Aquae cisternarum ad balnea aliquantum leniores et utiliores sunt aquis pluviarum et nivium, quod aliquantum purificatae sunt. Si qui in aestate in fluentibus fluminibus balnea accipiunt, inde non laeduntur, quod flumina ita calore solis et aeris temperata sunt, quod nec nimis calida nec nimis frigida sed temperata sunt. Sed tamen noxios et malos humores non multum compescunt, nec etiam ipsi mali humores per ea crescunt.

De purgatoriis poenis. Quidam etiam inextinguibiles ignes in aere sunt, qui de diversis operibus hominum incenduntur, quoniam qui illis ad gloriam esse debebant, ex malis operibus eorum ipsis ad poenales ignes fiunt, et ita in aliqua loca terrarum descendunt. Et ibi congregantur, ubi etiam aliqua flumina oriuntur et effluunt, quae calorem et ardorem ex eisdem ignibus contrahunt, ita quod etiam iudicio dei quaedam animae in ipsis ignibus et in ipsis aquis examinantur. Sed quidam rivuli ex eisdem aquis aliquando in diversas terras inter homines fluunt, qui semper calidi sunt, quod de inextinguibilibus ignibus exeunt. Sed et quaedam partes terrarum sunt, super quas [deus] divina ultione aliquando ignis descendit, ut scriptum est: pluit super eos carbones ignis, et spiritus procellarum pars calicis eorum. Et terra et montes et lapides, quos ignis ille tetigit, in igne semper ardebunt usque ad novissimum diem, atque in illis locis, qui sic ardent, rivuli interdum oriuntur, qui de eodem igne semper calidi sunt et calidi fluunt. Sed et homines interdum arte sua ad eadem loca aliquando quosdam rivulos ducebant, ut ex eis calefierent, qui per eadem loca fluentes et ardorem ibi accipientes deinde calidi effluebant. Et aquae istae homines illos, qui balneis in eis utuntur, interdum non laedunt, sed eis sanitatem conferunt, quod calor earum iniustum ardorem, qui in illis est, compescit et malos humores in eis consumit.

De asso balneo. Homini, qui macer et aridus est, assum balneum, scilicet ignitis lapidibus calefactum, non

valet, quod per illud plus aridum se facit. Illi autem, qui pingues carnes habet, assum balneum bonum et utile est, quoniam humores, qui in ipso superflui sunt, per illud compescit et minuit. Sed et illi, qui *uirgichdich* est, balnea cum ignitis lapidibus prosunt, quod humores, qui in ipso semper insurgunt, per assum balneum aliquantum comprimuntur. Sed de balneo aquarum insurgere et salire in iniustum modum aliquantum incipiunt, quoniam caro et sanguis ac venae illorum, qui *uirgichdich* sunt, in instabilitatem diffunduntur, id est *zeulezint*. Lapides autem ignem et diversos humores in se habent. Et si in ignem ponuntur, humiditas in eis perfecte auferri non potest, et ideo non est sanabile assum balneum cum eis facere, sed multo salubrius est cum lateribus, quod ipsi cocti et aridi sunt, ita quod humores, qui in eis erant, per coctionem ignis in ipsis consumpti et ablati sunt. Unde qui asso balneo lavari vult, illud lateribus faciat; quod si lateres habere non potest, tunc *grizsteine* accipiat, quod illi suaviorem ignem et suaviores humores in se habent quam alii lapides; sed *wackun* non accipiat, quod illi fortem ignem in se habent et quod diversis humoribus in aqua repleti sunt.

[*De oculorum diversitate.* Qui griseos oculos habet, interdum levis, interdum praeceps aut valde lascivus aut tardus aut in moribus suis incompositus est, sed tamen omnia, quae facit, probiter perficit.

. . . . . . Qui igneos oculos habet, qui similes sunt nigrae nubi iuxta solem sitae, iste prudens et acutus ingenio ac iracundus est.

Item de oculis. Qui oculos habet similes nubi, ubi iris apparet, hic aliquantum instabilis est, videlicet interdum tristis, interdum laetus, sed tamen in moribus suis honestus est.

Item. Qui oculos habet similes turbidae nubi nec ad plenum igneae nec ad plenum turbidae, sed ⟨quae⟩ aliquantum glauca est, iste instabilis et levis in moribus suis est et astutus, sed tamen capax in operibus, ita quod *quaeque* opera nescit, facile capit et retinet.

Item. Qui nigros seu turbilentos oculos habet, ut aliquando nubes est, iste prudens ac bonis consiliis consentiens est, sed tamen ad quaeque opera sua angustiatur.

De cerasis et crapula ipsarum. Si quis cerasa comedit, statim satis de vino bibat, ut succus earum per vinum superetur, et ita ille de eodem succo non laeditur.]

Quaedam de conceptu. Homines, qui concipiuntur, cum luna multas effusiones aquarum in se portat in imbribus, aqua eos in submersionem ad se libenter trahit. Et qui concipiuntur, cum luna in nimio ardore aestatis est, illos ignis ad se libenter trahit in combustione. Sed et cum dies caniculares sunt, qui tunc concipiuntur, quod mordaces dies sunt, illi a bestiis libenter devorantur. Et qui in *loubroz* concipiuntur, libenter de arboribus et aliis his altitudinibus ruunt.

Luna prima. Sed homo, qui in prima luna concipitur, cum ipsa de sole splendorem suum recipit, si masculus est, superbus et durus erit nec ullum hominem amat, nisi illum, qui eum timet et honorat, ac homines libenter *uerrethet* et superbiam eorum et omnia, quae possident; sed sanus in corpore est nec magnas infirmitates habebit, sed non multum senex erit. Si vero femina est, honorari semper appetit et ab extraneis plus quam a domesticis semper amatur et apud se ipsam impia est et alienos et novos adventantes homines semper amat, sed circa domesticos mala est et illos negligit; et in corpore sana est. Sed si infirmitas eam apprehenderit, tunc valde infirmatur, et fere usque ad mortem, et diu non vivit.

Luna secunda. Qui in secunda luna concipitur, si masculus est, vagationem mentis et in sapientia latitudinem mentis habet, et stabiles mores habet et ab hominibus reverenter honoratur, sed in timore facile exterretur et saepe sed leniter infirmatur et diutius vivere potest quam ille, qui in prima luna concipitur. Si autem femina est, prudens erit et multa perquirit, et *arbeitsam* mores et sibi et aliis hominibus habet et amari vult, sed amari non

potest, et per melancoliam fatigatur et *suarmudich* facile est; sed diu vivere potest.

Luna tertia. Qui in tertia luna concipitur, si masculus est, probus erit, et eadem probitas illi non prodest, quod alienos mores habet, <et> plus ad alienas causas quam ad suas habet et plus ad alienos homines quam ad notos anhelat et deum absque operibus diligit et in superbia sua facile deficit; sed facile in corpore infirmatur; sed tamen diu vivere potest. Si vero femina est, infelicitatem et infortunium *missesich* in saecularibus habet, sed tamen suspiria ad deum tenet, et venae eius frequentes infirmitates patiuntur, sed tamen tolerabiles; et etiam diu vivere potest.

Luna quarta. Qui in quarta luna concipitur, si masculus est, fatuosus erit et facile per alios decipitur; sed tamen benevolus est et felicitatem habet, ita quod in superbia dives erit et quod honoratur, et in corpore sanus est et satis diu vivet, sed tamen non multum diu vivet. Si autem femina est, *lobesam* erit et hominibus cara et cum hominibus prospere incedit et facile infirmatur et defectum in corpore suo saepe sentit et diu non vivet.

Luna quinta. Qui in quinta luna concipitur, si masculus est, probus et fidelis, fortis ac durus erit et sanus in corpore et aliquamdiu vivet. Si autem femina est, virilis et *stridich* et *nidich* erit sed tamen proba, et interdum inforti infirmitate fatigatur, sed tamen non frequenter, et etiam aliquamdiu vivere potest.

Luna sexta. Qui in sexta luna concipitur, si masculus est, benevolus et blandus erit, sed viriles mores non habet et quasi femina mollis erit et facile infirmatur, sed diu non vivet. Si vero femina est, proba et *frumich* erit et cara hominibus, et sana in corpore est, et diu non vivet.

Luna septima. Qui in septima luna concipitur, si masculus est, fatuosus et inanis sapientia erit, sed putat se sapientem esse, cum sapiens non sit, et hominibus amabilis non erit, et fortes venas habet nec multum infirmus in corpore est; sed si infirmitas eum apprehendit, *letsam* et *suar-*

mudich erit et aliquamdiu vivet. Si autem femina est, *frech* erit, sed fatuosa et inanis sapientia et *gamudich* erit et taediosa hominibus et sana in corpore et diu vivet.

Luna octava. Qui in octava luna concipitur, si masculus est, prudens et castus et moderatus in omnibus operibus suis erit et adiutor hominum et in corpore sanus; sed si interdum infirmatur, facile convalescet et satis senex erit, sed tamen non nimis senex. Si vero femina est, *wunneclich* et *nithsam* et *zirgerne* ac *frumesam* erit et viros non deligit et in corpore sana est et satis senex erit, sed tamen non nimis senex.

Luna nona. Qui in nona luna concipitur, si masculus est, facile timet et incestus erit et infirmus in corpore, nec diu vivet. Si autem femina est, pudibunda erit et viros cum disciplina amabit et infirma in corpore erit nec diu vivet.

Luna decima. Qui in decima luna concipitur, probus et *frumesam* ac utilis erit et felix et sanus in corpore, et diu vivet. Si vero femina est, proba erit et cara hominibus et *nithsam* ut lilium et *frumesam* ac felix, et facile infirmatur, sed cito convalescet et diu vivet.

Luna undecima. Qui in undecima luna concipitur, si masculus est, iracundus erit et non felix et feminas non amat nec sanus erit in corpore nec multum diu vivet. Si autem femina est, *heizmudich* et *arbeitselich* et *wortselich* in infamia erit, sed tamen proba; et magna infirmitate facile apprehenditur, sed cito convalescet et non multum diu vivet.

Luna duodecima. Qui in duodecima luna concipitur, si masculus est, indiscretus erit et mentem hac et illac divisam habebit et ad aliena loca et ad alienas res tendit et hoc diligit, atque omnes gestus eius molesti sunt hominibus, et *suarsuhthich* erit nec diu vivet. Si vero femina est, instabilis moribus erit et *ungewizun* nec doctrina meliorari vult et hominibus molesta erit et multas infirmitates non habebit, sed tamen non diu vivet.

Luna tertia decima. Qui in tertia decima luna

concipitur, si masculus est, ***grim*** erit et timidus et infidelis et homines libenter ***uerrethet*** et facile freneticus erit et diu vivet. Si autem femina est, ***minnesam*** non erit sed astuta et bonum consilium per deceptionem dat et paralysi facile fatigabitur et diu vivet.

Luna quarta decima. Qui in quarta decima luna concipitur, si masculus est, *volmudich* et superbus erit et laboriosam vitam habebit et honorem suum cum labore ad mortem ducet nec plurimos pueros de se generabit; et facile infirmatur, sed cito convalescet, nec diu vivet. Si vero femina est, *otmudich* erit nec ulli honorem affectat, cum ipsa in honore sit, sed tamen honorem suum indefectum habebit et *arbeitsam* erit nec amari poterit, et sana in corpore sed diu non vivet.

Luna quinta decima. Qui in quinta decima luna concipitur, si masculus est, in honore et in felicitate erit et in omnibus operibus suis, quae inceperit, *frumesam* erit et in eis non deficiet, seu bona seu mala sint, quod in plenitudine lunae conceptus est, et sanus in corpore est et non diu vivet. Si autem femina est, *lobesam* erit et in novis operibus *lustich*, et honorabitur et in his, quae ad deum sunt, facile peribit, si honorem deo non dederit, et facile infirmatur in corpore, sed tamen cito convalescet, et diu non vivet.

Luna sexta decima. Qui in sexta decima luna concipitur, si masculus est, viles mores habebit, qui nulli placebunt, sed squalidi erunt, et in operibus suis defectum habebit, sed tamen tantum superbiae habebit, quod in hac vita absque penuria sustentari poterit, et infirmitates facile non fatigant eum, et senex erit. Si vero femina est, fatua erit et fatigabiles mores habebit, sed tamen sustentationem vitae in superbia habebit et in corpore sana est et diu vivet.

Luna septima decima. Qui in septima decima luna concipitur, si masculus est, *alwere* erit et in sapientia defectum habebit, sed tamen alio modo utilis est, et homines *de eo ut* de puero delectantur, et amabitur et in medulla

facile infirmabitur et non multum diu vivet, sed tamen satis senex erit. Si autem femina est, stulta erit et *stridich* et iracunda, sed interdum benivola, ita quod ex hoc amabitur, et saepe cum *asinnegemo giche* fatigatur et etiam non multum diu vivet, sed tamen satis senex erit.

Luna octava decima. Qui in octava decima luna concipitur, si masculus est, fur erit et cupiditatem furandi habet et ita reperietur fur, et proprietas terrae ei abstrahitur, ita quod fere nihil proprium de terra quaerit habere, scilicet nec agros nec vineas nec similia, sed semper aliis auferre, quae sua non sunt; et in corpore sanus est et per se diu vivet. Si vero femina est, astuta erit et vulpinos mores habebit et nihil fere loquitur, sicut in corde habet, sed propter nequitiam morum suorum in loquela sua homines decipit et probos homines ad mortem perducit, si poterit, et sana est in corpore, sed per insaniam interdum fatigatur et diu per se vivere potest, sed isti mores tam masculi quam feminae deo molesti sunt.

Luna nona decima. Qui in nona decima luna concipitur, si masculus est, simplex erit et non astutus, sed amabilis hominibus, et superbia rerum ei deficiet, nisi per alios homines iuvetur, et sanus in corpore est, sed tamen non diu vivet. Si autem femina est, stulta erit et tamen amabilis hominibus, et in superbia sua facile deficiet, nisi ab aliis succurratur. Et facile infirmabitur, sed cito convalescet, et non diu vivet.

Vicesima. Qui in vicesima luna concipitur, si masculus est, virilis erit et malus et latro et homicida, et his delectatur et non facile infirmatur; sed si infirmitas eum apprehenderit, graviter infirmatur et non diu vivet. Si vero femina est, *uerretheren* et *cedenseren* erit et venefica et hominibus libenter *uergibet*, et facile lunatica erit et diu vivet.

Vicesima prima. Qui in vicesima prima luna concipitur, si masculus est, inanis mente et sensu erit et omni tristitia plenus, et in nulla causa scit sibi providere, sed <est> ut stultus, qui in via errat; et iste in se ipso arescit et

tristis est nec consolari potest; et rectas infirmitates non habebit, sed de tristitia mentis suae interdum infirmatur, et sic diu vivet. Si autem femina est, ab aliis hominibus amabitur, sed timida et sollicita erit nec se ipsam corrigere scit, ita ut fere timendo periret, si etiam puer ei minaretur; et non multum in corpore infirmatur, sed de tristitia in mente gravatur et ita interdum debilitatur; et sic diu vivet.

Vicesima secunda. Qui in vicesima secunda luna concipitur, si masculus est, duplex in mente erit et in bellis velut ille, qui in bello fortiter non pugnat; sed secundum hoc, quod ibi in prosperitate videt et secundum quod in prosperitate cognoscit, ita se ad homines habet; et ut aura mutatur, sic mens eius est; sed tamen aliquantum probus est, sed non multum amabilis hominibus, et in corpore sanus est et diu vivet. Si vero femina est, inanis et vacua in moribus suis est et in eisdem moribus suis homines sibi attrahit et non in fornicatione, et libenter mentitur, et facile graves infirmitates incurrit, ut infirmitates sunt freneticorum et eorum, quorum carnes vermes comedunt, et diu vivet.

Vicesima tertia. Qui in vicesima tertia luna concipitur, si masculus est, benevolus erit et suavem mentem habebit et ad bonum consilium libenter se declinat et contra mala nescit in aliis astutias devitare et a felicitate non deficit, sed tamen felicitatem vix retinet; et in corpore facile infirmatur, sed cito convalescet et diu vivet. Si autem femina est, pudibunda erit et [in] omnibus amabilis propter pudorem, quem habet; sed in superbia ***ratsam*** non est nec astuta, sed tamen aliquantum felix et non multum infirma in corpore, et diu vivet.

Vicesima quarta. Qui in vicesima quarta luna concipitur, si masculus est, ***nachretich*** erit et ***ratsam*** et semper studet, ut apud se solum dives sit, et parcus et fere nulli homini prodest, et infirmitas corporis eum non multum laedit et satis diu vivet. Si vero femina est, prudens ***et listich*** erit et hominibus ***frumesam*** apparet, sed tamen

eis non prodest; et non multum infirma in corpore est, sed tamen dragunculam interdum patietur, et satis diu vivet.

Vicesima quinta. Qui in vicesima quinta luna concipitur, si masculus est, *stolz* et *freuel* erit, et prudens fieret, si *stolzeith* et *freueleit*, quae in eo sunt, prudentiam in ipso ⟨non⟩ dispergunt, velut ventus, qui pulverem dispergit. Et sic iste est, qui plus vult, quam habeat, scilicet ut navis, quae vix in aqua haeret; et in superbia saepe deficit et hominibus molestus est, et facile taediosas infirmitates habebit et diu non vivet. Si autem femina est, pulchra facie erit et erigit se quasi in probitate, et proba non est, quod cum probitas in ea quaeritur, non invenietur; et tunc odio habetur et in superbia deficiet; et non multum in corpore infirma est, sed non diu vivet.

Vicesima sexta. Qui in vicesima sexta luna concipitur, si masculus est, prudens erit et post quaeque opera prudenter cogitat et facile a febribus fatigatur et diu vivere potest. Si vero femina est, prudens erit et sollicita et stabilis et casta, sed a flegmate facile fatigatur et diu vivet.

Vicesima septima. Qui in vicesima septima luna concipitur, si masculus est, pavidus erit et facile *ueregeseth* se et ei etiam facile *gruwet*, sed tamen probus est et utilis, et ab hominibus amatur, sed magnae pestes velut melancolia eum facile fatigant, et satis diu vivet. Si autem femina est, virtuosa erit, ita quod ab hominibus amabitur, et in corpore infirma erit, sed tamen satis diu vivet.

Vicesima octava. Qui in vicesima octava luna concipitur, si masculus est, tortuosus in sensu et in moribus et in gestu suo erit et facit, quasi *vergouchet* sit, sed tamen satis de sensu et de scientia ad nomen suum habet nec amari potest, et pestem amentiae facile incurrit et satis diu vivet. Si vero femina est, fatua et stulta erit et fatigabiles mores habebit nec ab hominibus amari potest, et facile de febre fatigatur et satis senex erit.

Vicesima nona. Qui in vicesima nona luna concipitur, si masculus est, curiosus erit et *gewundene* mores et gestus habebit et novos mores in vestitu et in moribus regionum

diligit atque novos et instabiles homines diligit, et in corpore venenosos humores facile habet et ita saepe infirmatur et non diu vivet. Si autem femina est, *gemech* et vana erit et in moribus et in gestu suo post se viros seducit, et in stomacho facile infirmatur et diu non vivet.

Luna tricesima. Qui in tricesima luna concipitur, si masculus est, pauper erit, et si nobilis est, semper ad inferiora descendet nec felicitatem habebit, et in corpore, viribus et carne facile deficit, sed satis diu vivet. Si vero femina est, pauper erit et *wortselich* in infamia, et cum alienis hominibus libentius est quam cum notis; et non multum infirma in corpore erit et satis diu vivet.

[*Quarum plagarum herbae quibus curis conveniant.* Sanis et repente infirmantibus herbis in oriente nascentibus succurrendum est, melancolicis et latere dolentibus herbis in occidente nascentibus subveniendum est, paralysi et fortibus febribus cotidianis dolentibus, tertianis, quartanis et in stomacho dolentibus herbis in austro nascentibus subveniendum est, freneticis et in iecore dolentibus herbis in aquilone nascentibus succurrendum est.

De conceptionis diversitate. Qui de nigro sanguine nascitur, puer cito incedit pedibus et cito loquitur, sed stultus est et difficiles mores habet, et si infirmabitur, diu languescet, quod niger sanguis livosus est et pestuosus. Infans, qui de rubeo sanguine nascitur, citius incedit et citius loquitur quam ille de nigro sanguine, et velox in cursu est et repentinus in moribus suis et cito in illis cessat et non diu languet, sed cito convalescit et prudens erit.

Rubeus sanguis sanus. Infans, qui de spisso et recte colorato sanguine nascitur, pinguis in corpore erit et cito incedet, si prae mole corpore posset; et sanus est, sed et manibus cito reptat et non diu languet et prudens erit et utilis, et sanguis iste sanus est. Infans, qui de aquoso et tenui sanguine nascitur, vacuus in scientia est et laborare non potest et facile infirmabitur nec facile irascitur,

et sanguis iste livosus est, et infans iste diu est, quod non incedit pedibus, et quod non loquitur, diu est.

Quare homines dormitant post potionem et minutionem. Quod homines post sumptas potiones seu post factas minutiones dormitant, hoc ex inanitione venarum evenit, quod cum venae inanitionem humorum et sanguinis in se sentiunt, quiescere volunt et ita homo repentinum soporem arripit.

Contra coryzam. Si reuma a naribus superflue effluit, fumus de ligno abietis naribus excipiatur, et fluor ille suavius solvetur et cessabit. Cineres quoque de ligno abietis fiant et cum illis lexiva paretur et caput hominis cum illa lavetur, et pravos humores capitis minuit ac oculos clarificat.

De febrium causis. [1]) Febres autem de nimia dormitione aut de superfluis cibis et potibus oriuntur aut de taedio et otiositate, cum homo non operatur.]

[Expliciunt prophetiae sanctae Hildegardis.
Explicitur iste liber, scriptor sit crimine liber.
Amen dicant omnia.]

---

1) v. 15—17 = p. 164,24-26.

INDEX RERUM ET NOMINUM.

INDEX VERBORUM GERMANICORUM.



Gerae: Typis Theodori Hofmanni.


3 2044 010 718 2

